This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

~~XIX. D.~~
Y40 te 118

יהוה

I

METROLOGICORUM SCRIPTORUM
RELIQUIAE.

COLLEGIT RECENSUIT PARTIM NUNC PRIMUM

EDIDIT

FRIDERICUS HULTSCH.

VOLUMEN I

QUO SCRIPTORES GRAECI CONTINENTUR.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXIV.

Rec'd. Aug. 29. 1879.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

Cum quattuor fere abhinc annis res metrologicas Graecorum et Romanorum describere instituissem, non mediocris periculi casus incidit, ut statim in primordiis operis multis obstaculis implicitus propositum iusto ac definito spatio exsequi non possem. Nam cum alias eius disciplinae partes vidi adeo incultas iacere, ut brevius de iis disputare difficillimum esset, tum, quo altius inquisivi, eo magis intellexi ad veteres scriptores, quorum auctoritate in rebus metrologicis nitimur, minime ita aditum patefactum esse, ut commode aut aliquo cum fructu uti iis liceret. Quapropter simulac metrologiam absolvi, tamquam incohato, non perfecto opere accinxi me ad scriptorum metrologicorum reliquias et colligendas et edendas. Nec tamen hoc uno munere suscepto rem bene peragi posse existimabam, quippe cum Heronis etiam libri geometrici et stereometrici, quibus gravissima de mensuris praecepta contineri cognovissem, quasi viva voce me admonerent, ut tandem aliquando ederentur. Haec igitur mihi proposueram, et paratus eram, quidquid in me esset virium ac studii, ea consilia impigre ad exitum perducere. Verum tamen, credo, infinitam moram et sustentationem ea res habuisset, nisi viri excellentissimi duo, qui Regi Saxoniae adsunt supremi consiliorum administri, FRIDERICUS FERDINANDUS LIBER BARO DE BEUST et IOANNES PAULUS DE FALKENSTEIN insigni favore ita adiuvare voluissent meam quantulamcunque operam, ut libri manu scripti tres, quibus omnium primum egerem, Parisiis ex bibliotheca Imperatoria mihi mitterentur, et postea, cum ipse Parisios profectus essem, reliqui codices quos aditurus essem sine ulla cunctatione etiam ad domesticas lucubrationes traderentur. Sic peril-

lustrium virorum benevolentia effecit id quod alioqui fieri non potuit, ut inter media scholastici muneris officia Parisinae bibliothecae copiis satis ad propositum uterer; cuius rei gratias quantas maximas possum omni qua par est reverentia hic refero.

Eiusdem commorationis Parisinae nunquam recordor, quin gratissimam memoriam repetam spectatissimorum virorum DE WAILLY et CLAUDE, quorum alter quaerenti mihi per litteras de Heronianis libris non gravate respondit spemque propositi exsequendi, cum etiamtum dubia esset, confirmavit, alter, cum Parisiis alia super alia brevi spatio poscerem — nam ex permultis codicibus fragmenta colligenda erant — indefesso studio nulla in re defuit.

Prima consilia et huius libri et Heronis edendi communicavi cum THEODORO MOMMSEN, cuius auctoritatem ita colo ac suspicio, ut nihil in litteris elaborare soleam, nisi si ille cognoverit cognitumque probaverit. Atque idem non solum petenti mihi facile concessit repeti a me in hac collectione Maeciani librum de asse, quem ipse tam emendate edidit, ut vix quicquam mea opera addi posse viderem; sed etiam de Columellae codice olim Sangermanensi Petropolim scripsit ad AUGUSTUM NAUCK, qui ad libri V initium, quod in altero volumine editurus sum, variis scripturis sedulo adnotatis magno me obligavit beneficio.

Praeter codices Parisinos quattuordecim ipse usus sum Vindobonensibus tribus, cum ante hoc biennium aliquot dies in illa urbe moratus sum, et Monacensi uno, qui inter omnes Heronianos propriis quibusdam virtutibus excellit. Praeterea Vossiani codicis qui Eusebiana et Didymea continet apographum accepi amicissimo studio OTTONIS IAHN, cui me uberrimam de disciplina philologica institutionem debere usque pio animo recordor. Ac tabulas duas ponderum et mensurarum e Mutinensi codice descriptas nuper misit ad me per Theodorum Mommsen DETLEFUS DETLEFSEN, cuius benevolam operam iam Parisiis multis in rebus expertus eram. Tum ex Vaticano codice nonnulla metrologica precibus meis contulit WOLFGANGUS HELBIG, qui hunc alterum annum in Italia versatur in omni antiquitatis genere curiosissimus. Denique dicere vix possum, quan-

tum debeat hic liber ALFREDO FLECKEISEN, viro amicissimo, qui et nonnullos libros ignotos mihi — quis enim in tanta tam variorum scriptorum copia unus sciat omnia? — indicavit, et commendavit me viris doctissimis ac spectatissimis CAROLO HALM, GUILIELMO CHRIST, LEONHARDO SPENGEL, HENRICO KEIL, HERMANNO USENER. Quorum meritis quem quaeque huius libri pars fructum ceperit, infra singillatim demonstrabo; hic autem cunctis gratam tantae benevolentiae memoriam, sicuti par est, profiteor.

Priusquam ad id me converto quod maxime in hac praefatione propositum est, non alienum videtur rem diu variis iudiciis iactatam nunc tandem metrologicae scientiae auxilio absolvere. Niebuhrius enim cum Ciceronis orationum pro Fonteio et pro Rabirio fragmenta ex membranis rescriptis bibliothecae Vaticanae ederet (Romae 1820), in eo codice invenit duas paginas minoris formae, quae medici alicuius Graeci formulas quasdam medicinales, adscripto medicamentorum pondere, continere viderentur (v. apud Niebuhr. p. 16). Quam in rem accuratius inquirere noluit vir praestantissimus, gravioribus studiis intentus; *illud autem*, inquit, *nullo modo praetermittam*, *tribus in locis ubi pondera indicantur*, *conspectas esse notas numerorum quas indicas sive arabicas dicere consuevimus: et ita plane formatas quales antiquitus apud Indos et nunc apud universas Europae gentes scribuntur. — Illis certe locis numeri* 10. 100. 14. *perspicue apparent*, *quorum imaginem*, *propter rei novitatem*, *in tabula expressi. Atque ut testem haberem locupletem me vana specie deceptum haud fuisse*, *advocavi Iohannem Playfair V. Cl.*, *professorem Edinensem*, *qui forte in urbe aderat*, *isque me recte vidisse protinus agnovit.* Haec Niebuhrius: quae tanti momenti fuerunt ad historiam rerum mathematicarum, ut omnium quorum id interesset studia excitare deberent. Nec tamen plus quadraginta annorum spatio quisquam eam quaestionem persecutus esse videtur, cum nuper demum Cantor de originibus litterarum mathematicarum scribens (*Mathematische Beiträge zum Culturleben der Völker.* Halae 1863) rem impeditissimam ad liquidum perducere insigni animi ardore susce-

pit. Scripsit enim ad Principem Boncompagnium, qui nuper libris Leonardi Pisani editis summae laudis titulum meritus est; is vero mandavit Spezio, professori Romano, ut codicem denuo diligenter exploraret (v. apud Cantorem p. 123 s. 386 ss.). Qui re subtiliter pervestigata respondit se easdem Graecas voces quas Niebuhrium, ut ΚΗΡΟΥ, ΜΙCΙΟC (Nieb.: ΜΙCΥΟC) cet., legisse, numeros vero Indicos minime inveniri, sed istas notas quasdam esse vel modum vel numerum medicamentorum significantes: ϝ° ϛ̄, ϝ° Ᾱ, ϝ° ϛ̄, quae se interpretari γίγνεται ὄγδοα ϛ̄, γίγνεται ὄγδοον ᾱ. Haec cum Spezius scripsisset, omnia comprobavit Cantor: qui si libros vel Galeni vel Dioscoridis vel Oribasii inspexissent, facillime verum invenire potuerunt. Scilicet et apud illos et apud omnes qui de ponderibus ac mensuris scripserunt pervulgatam esse constat unciae notam ϝ°, quae in hoc nostro libro saepissime invenitur (p. 171. 207, 18. 220, 17. 221, 15 cet.). Uncias igitur vel VI vel I medicus ille ignotus perscripsit, nec, ubi in codice ϝ° exstat, ipse quidquam aliud scripsit nisi ϝ°. Quid autem eo loco voluerit, ubi Niebuhrius legit 14, non satis liquet. Verum aut eadem est unciae nota minus perspicue exarata, aut latet in eo ductu ΓΡ vel Γ̊Ρ, i. e. γράμμα sive scripulum. Denique quod dixi ignoti medici id fragmentum esse, minime desperandum esse censeo eundem aliquando notum futurum esse. Equidem, cum primum vacabit, pervolvam medicorum Graecorum libros, sicubi forte istum locum inveniam. Quod si contigerit, nulla omnino dubitatio relinquetur, quin vera sint ea quae hic in medium protuli.

Iam vero non moror id quod hic propositum est, ut, quibus ubique criticis subsidiis usus sim, accurate exponam.

1. In loco Pollucis exscribendo Imm. Bekkeri editionem secutus sum, nisi quod in verbis εἰ δὲ συγκάμψειας τοὺς δακτύλους cet. commate ante ἀπ' ἀγκῶνος, non ante πυγὼν, posito veram restitui sententiam.

2. De fragmento Greavesiano v. prol. § 2.

3. Ad Didymi libellum, quem proxime in publicum editurus sum contuli codicem Parisinum 2475 et Monacensem 165. E priore recepi Πτολομαϊκός. — § 3 et 4 omisi

μὲν post κατά, quoniam ea quae de quadrata et cubica mensura adduntur adiungere nolui.

4. Tabulam Heronianam I e codice Graeco Paris. 1670 (olim 2724) fol. 130ᵇ—131ᵇ primus edidit Montfauconus in Analectis Graecis (Par. 1688) p. 311—15, repetivit nuper Letronnius (*Recherches sur Héron* p. 47 ss.). Idem fragmentum inter eas Heronianas reliquias legitur quas sub Didymi titulo Ang. Maius e codice Ambrosiano edidit (v. prol. § 14). Nos denuo inspeximus Paris. 1670 (Pᵃ). Praeterea contulimus Paris. 2475 (Pᵇ), Vindobonensem philos. Gr. 309 (V), Monacensem 165 (M), neque omisimus Ambrosianum a Maio editum (N), quorum consensum significavimus littera C. Aliquoties etiam adscripsimus illius brevioris fragmenti varietatem, de quo in prol. § 19 diximus: designavimus nota Iᵇ. *Mo* est Montfauconi, *Le* Letronnii editio. — De reliquis libris manu scriptis qui idem fragmentum continere dicuntur vide Letronn. p. 46, Martin. *Recherches sur Héron* p. 203; videntur etiam nonnulli ex iis quos Maius p. 151 commemorat hanc tabulam habere. Omnino inter omnes et vetustissimus est et praestantissimus Parisinus 1670, saeculi aut XIV aut XIII; reliqui fere saeculi XVI. Illum igitur maxime, ut par fuit, in edendo fragmento secuti sumus; sed quaedam tamen ex Ambrosiano repetenda esse vidimus. Nam statim initio, cum vulgata scriptura τὰ περὶ τὴν γεωμετρίαν ferri non posset, ex Ambrosiano τὰ περὶ τὴν γαιῶν μέτρηϲιν recepimus ac postea ex eodem concinne διανομὴν scripsimus. Poeticam formam γαιῶν praetulisse videtur scriptor, quoniam vocabuli γῆ genetivus pluralis in usu non fuit. (Γᾶϲ accusativum habet Etymol. M. sub ἄκαινα.) — Paullo infra correxi ὑπὸ τοῦ Νείλου pro ἀπό. — § 4. 19 cet. ἄκενα, quae est recentior pro ἄκαινα forma, e constanti codicum scriptura retinui. — § 9 reliquisque locis Φιλεταίρειοϲ (pro Φιλεταίριοϲ) scripsi. Nam nec tanta est in his minutis rebus codicum non admodum antiquorum auctoritas, et multorum adiectivorum similitudo suadet, ut id vocabulum per ει scribatur. Quam diphthongum olim etiam Salmasius praetulit (v. not. ad script. hist. August. p. 248ᵇ C), quamquam alioquin Φιλεταίριοϲ scribere consueverat. — § 20

ἐμβαδικοὺς correxi pro ἐμβάδους. — § 3. 12. 19. 26 cur nonnulla uncis incluserim, in prol. § 20 demonstravi.

5. Tab. Heroniana II in iisdem libris qui primam continent, praeter Parisinum 1670, statim post illam legitur. Edita est a Maio ex Ambrosiano, tum a Letronnio p. 49 s. e Parisino 2475. — § 1. 4 cet. παλαιστὴ scripsi, etsi libri constanter παλαιστῆς habent. Sed cum Ambrosianus et feminini articulum ἡ praefigat et § 16 ἡ δὲ ἑτέρα παλαιστῆς habeat, dubium non est, quin olim antiquior forma παλαιστὴ scripta fuerit, quae etiam in tab. III (§ 3) et apud Iulianum Ascalonitam (fr. 16, 2) exstat. — § 11 post τετραγώνῳ numerum ᾱ, h. e. decem milia, addidi. — § 12 ἐμβαδικοὺς correxi ut in tab. I § 20. — Quod § 17 Paris. ὁ σπιθαμὴ habet, levior error est, quoniam hae articuli formae initio rubro liquore appictae sunt. — De reliquis quae in hac tabula emendavimus vide prol. § 21.

6. Tabulam Heronianam III Vincentius (apud Letronnium p. 70) e cod. Paris. Gr. supplementi 387 edidit. Quo ego denuo collato duobus tribusve locis illum minus accurate codicis scripturam exhibuisse inveni.

7. Tabulam IV Letronnius (p. 67) e codice Vaticano (conf. eund. p. 54 adn. 1) in lucem protulit. Ex eodem autem libro descriptum esse dicit Parisinum 2438 (fol. 101^a), quem nos cum denuo inspexissemus, et nonnulla e vestigiis quae ibi exstant antiquissimae scripturae emendanda et pauca addenda esse vidimus (conf. prol. § 23). Signavimus nota P^c.

8. Tab. Heroniana V e codice Paris. 1670 edita est a Montfaucono, repetita a Letronnio (p. 42 s.). A nobis praeterea collati sunt Parisinus 2013 et Vindobonensis philos. Gr. 179 fol. 112^b—114^b (V). Parisinus 2013 duos diversos codices complectitur. Nam primum in Heronis Geometria (fol. 100^b—102^a), deinde in altero libro qui Γεωδαισία inscribitur (fol. 143^b—145^a) ea tabula legitur. Nos priorem librum nota P^d, alterum P^e, horum autem et Vindobonensis consensum littera C significavimus. De aliis codicibus vide Martin. p. 125 n. 1. 3. Ex hoc numero alii libri alias eius tabulae formas exhibent. Atque eam quidem formam quae in Paris. 1670 reperitur mox inter Heronis

reliquias edemus; hic autem alteram trium codicum familiam quam littera C notamus secuti sumus. Sed tamen ne hi quidem codices plane inter se consentiunt. Quem enim contextum verborum exhibuimus, is maxime descriptus est ex P^d, a quo P^e et V cum multis aliis in rebus, tum in extrema tabula agrestium mensurarum discrepant. — § 1 cet. Per totam tabulam in C κονδύλου mensura omissa est, quae cum abesse ab hac collectione non posset, nos eam uncis inclusam ubique ex P^a addidimus. — § 5 cum initio διχὰς definita sit, postea pro διχὰς scripsi λιχὰς collato Pollucis loco (fr. 1). Ibidem κυνόςτομον cum Letronnio, qui id in uno libro legi dicit, dedi pro κοινόςτομον. — § 12 ἀντίχειρον servavi, quamquam duo libri ἀντίχειρα (conf. § 5) praeferunt. Hoc autem discriminis esse videtur, ut ἀντιχεὶρ pollex, ἀντίχειρον mensura a pollice derivata intellegatur. Ibidem μεθὸ δέ, etsi δὲ in V omittitur, servavi, cum hoc dicendi genus a recentiore usu non alienum esse videretur. — § 14 cum vulgo εἰ μετρηθῶςιν legeretur, in uno autem libro αἰ pro εἰ exstaret, ἂν sine dubio corrigendum fuit. — § 16 in tabula agrestium mensurarum edenda Parisinum *d* secutus sum, qui eandem formam ac Parisinus *a* habet, nisi quod non ultra mille orgyias rationes subductae sunt, cum ad decem milia progrediatur P^a. Ea autem quae P^e et V habent infra breviter adnotavimus. — De errore qui latet in verbis πλάτος καὶ μῆκος ὀργυιῶν nostraque emendatione vide prol. § 25 adn. 2.

9. Fragmentum de orgyiae mensura nondum editum descripsi e cod. Paris. 2013 fol. 112ᵃ, cuius scripturam nonnullis locis corruptam ita correxi, ut infra adnotatum est.

10. Tab. Heronianam VI Letronnius (p. 65) edidit e cod. Paris. 2371 (P^f). Nos contulimus Paris. 2013 fol. 143ᵃ (P^e). — § 7 quid scribendum videatur, demonstravimus in prol. § 29.

11. Tab. Heronianam VII Letronnius (p. 59—61) ex iisdem libris edidit, unde IV tabulam petivit. Nos Parisinos 2475 fol. 27ᵃ—28ᵇ et 2438 fol. 100 contulimus, quorum notae, ut iam diximus, sunt P^b et P^c. Ex his Letronnii scripturam minus accuratam aliquoties emendavimus. De eiusdem coniectura πλέθρα ε′ vide prol. § 30 adn. 1.

12. Fragmentum de quadratis et cubicis mensuris edidi e Paris. 2475 fol. 28^b (P^b) et 2438 fol. 100^b (P^c).

13. Tab. Heronianam VIII Letronnius (p. 63) edidit e Paris. 2013 fol. 154^b, quem nos cum denuo inspiceremus, gravissimis in rebus ab illo erratum esse vidimus. Exposuimus de his in prol. § 31.

14. Tabulam quae Εὐκλείδου εὐθυμετρικά inscribitur edidi e Paris. 2438 fol. 109^a (P^c). — § 13 nonnulla prave scripta reperi (ter τούτῳ pro τούτου vel ταῦτα corrigendum fuit), et in cubici pedis definitione βάθος ποδὸς α′ (coll. Didymo de mens. marm. 1) addidi.

15. In libro qui inscribitur Varia sacra (tom. I p. 499—503) Stephanus Le Moyne fragmentum quoddam Περὶ πηλικότητος μέτρων edidit e codice quem dicit Sarraviano. De quo v. eius prol. p. 17: *In eodem vero codice Sarraviano — excerpta quaedam legebantur de ponderibus ac mensuris.* Ibidem autem (p. 10 extr.) legimus haec descripsisse Claudium Sarravium ex codice Antonii Eparchi, qui exstet in Regia Bibliotheca num. 2216. Cuius copiosissimi codicis ipse Le-Moynius in suo libro (p. 517—529) indicem edidit. Nunc in Imperatoria Francorum Biblioth. est inter cod. Gr. num. 1630 (bombyc., saec. XIV), ubi fol. 114^a hanc de mensuris tabulam invenimus denuoque contulimus.

16. Tabulam Iuliani Ascalonitae repetivi ex Heimbachii editione (v. prol. § 35 adn. 2). Scripturam οὐργία intactam reliqui, quamquam οὐργυιά, quod Paris. 2013 in tab. Heron. V exhibet, praeferendum videtur. Sed § 8 βήματα ϲμ′ cum Mercero mutavi in βήματα ϲ′, cum tanti erroris culpa auctori tabulae adsignari non possit. De reliquis vide prol. § 35.

17. Vide prol. § 36.

18—27. Fragm. 18 edidi e Paris. 2475 et Monac. 165, tum fragm. 19—21 ex iisdem et Paris. 2438, denique fragm. 22—25 e Parisinis 1642. 2361. 2438. De fontibus fr. 26 et 27 vide supra ad fr. 14 et 7. Varias scripturas adnotare omisi, quia iis longior explicatio praemittenda fuit; nam et nonnulla ex his fragmentis binis locis in libris manu scriptis leguntur, nec omnino de codicum scriptura recte

iudicari prius poterit, quam universae illae collectiones in lucem prolatae erunt.

28. In Pollucis loco qui est περὶ μέτρων Bekkeri maxime editionem secutus sum (*Be*); adscripsi tamen vulgatae olim scripturae a Dindorfio editae varietatem (*Di*). — In iis versibus qui e Strattidis fabula Cinesia citantur nonnulla ita corrupta sunt, ut vix sanari posse videantur. Apparet duos inter se colloqui, alterum Boeotum, alterum hominem ex alia civitate, Atheniensem puto. Prima verba sunt Atheniensis de hordei pretio quaerentis: respondet alter κόφινον mensuram afferens: quod cum ille non intellegat, rursus τί λέγεις quaerit: tunc Boeotus μέτρῳ ἐχρῶντο κοφίνῳ. Denique ea quae sequuntur corrupta sunt. Forsitan in lacuna novem decemve litterarum, quae post ἢ est, brevior quaedam interrogatio alterius intercciderit, ad quam rursus respondet Boeotus τοῦτ' αὖθ' (vel αὔθ' quod ex A edidit *Be*) ὅτι etc.; hic autem metrum turbatum vel sic restitui posse videtur: οἴνου κόφινος δύναταί γε τρεῖς πυρῶν χόας (γε me invito intercidit in adnot. ad p. 206, 19); vel, si id audacius videatur, hoc modo: οἴ. κ. τρεῖς δυνάμενος π. χ.; ac tum in altero versu δύναται suaserim pro δυνάμενος.

29. Vetustissimam tabulam de mensuris ac ponderibus Montfauconus in Analectis (p. 393—395) edidit e codice Parisino olim 3284, quem ego, cum tempus deesset eius numeri quo nunc numeratur quaerendi, denuo conferre non potui. Sed confido Montfauconum, quae fuit in illo cura ac diligentia, fere omnia accurate edidisse. Praeterea autem nonnulla inveni, quae coniectura emendanda essent. Ut § 1 ἀπερίστικτοι scripsi pro περίστικτοι collato Galeneae collectionis cap. II, 4, tumque notam ⩵ restitui. Ibidem drachmae veram notam < revocavi ex auctoritate eiusdem capitis Galeneae collectionis (II, 5). De reliquis quae mutanda fuerunt vide prol. § 41. 42.

30—50. Locos e Galeni libris excerptos e Charteriana editione repetivi, et si quae discreparent apud Kühnium adnotavi. Nonnulla correxi coniectura. Omnino autem vidi vehementer optandum esse, ut quam primum Galeni scripta accurate ad librorum antiquorum fidem edantur.

51—66. Ad eam ponderum et mensurarum collectionem quam Galeneam appellare consuevimus etsi libros manu scriptos conferre non potui, tamen apparatum non spernendum ad eas tabulas emendandas me congessisse existimo. Nam in nonnullis libris partes quaedam eius collectionis ita editae sunt, ut scriptura typis expressa fere codicum manu scriptorum auctoritatem habeat. Mitto editiones Aldinam (vol. IV extr. fol. 48[b]) et Basileensem (IV p. 466), ubi e codicibus deterioris notae èas tabulas expressas esse vidi, quapropter post cap. II scripturae varietatem adnotare desii; sed magnam auctoritatem inveni tribuendam esse ei collectioni quam Neander edidit in libro qui inscribitur Cύνοψιc mensurarum et ponderum (Basil. 1554) p. 85 ss. Namque haec Neandrea ex codice manu scripto petita esse, etsi nihil editor de ea re commemorat, tamen dilucide inde apparet, quod permulta ab editionibus Aldina et Basileensi ita discrepant, ut ea ex ingenio corrigi non potuerint. Non minoris momenti est ea collectio quae in H. Stephani Appendice libellorum ad thesaurum Graecae linguae pertinentium p. 213 ss. reperitur. Etenim et bono codice usus est Stephanus et, qua praestitit linguae Graecae peritia, emendatius quam quisquam adhuc eas tabulas edidit. Denique etiam post Nicandrum Aldinum (v. prol. § 83 adn. 1) tres eiusdem collectionis tabulae e codice aliquo antiquo expressae sunt. Sed omnibus his libris nemo fere virorum doctorum usus est, postquam Charterius in Hippocratis et Galeni operum tomo XIII (p. 975 ss.) easdem tabulas edidit. Qui quidem haec in ea re se egisse profitetur: *Versionem Cadaldini legimus, alteram quoque Andernaci et tertiam H. Stephani; sed Graecum textum cum manu scripto codice Regio et cum Cai Britannici, Morellii et quorundam aliorum editionibus contulimus; ac demum Latinam versionem novam ac nostram Graeco exemplari magis analogam condidimus et textuum compertorum incremento locupletavimus* (tom. XIII p. 1022). Vides multis subsidiis usum esse Charterium; nec tamen is hac ipsa copia multum utilitatis attulit, quoniam singulis locis, unde quaeque repetiverit, non adnotavit. Ac videtur aliquotiens, ubi ἄλλοι vel ἢ habet alterumque nume-

cum addit priori, eam varietatem in alio libro invenisse eamque in contextum recepisse. Multa igitur in Charteriana collectione suspecta sunt. Quae cum ita sint, certe non id quasi fundamentum nostrae editionis fecissemus, nisi et plurimi adhuc viri docti Charterium citare consuevissent et eadem collectio una plenior esset reliquis ac multis etiam locis praestantior. Ita Charteriana quidem repetivimus, sed ea repurgata ab omnibus quaecunque vitiosa esse videbantur, quae nos uncis ubique seclusimus. Magnopere vero optavimus, ut codicem Parisinum quo Charterius se usum esse scribit inveniremus, sed id ut fieret, non contigit longiore ad quaerendum otio non concesso. Sed similia tamen nonnulla eaque gravissima invenimus, de quibus statim dicemus. Restat ut demonstretur, quae quique ex iis libris quos citavi quibusque locis habeant. Quod proponam in hac tabula, ubi numeri significant capita Charteriana:

Chart.	Ald. et Bas.	Steph.	Neander	Nic.app.
I	I	I	I	—
II	II	II	II	—
III	III	III	VI^a	—
IV	IV	IV	III	—
V	V	V	IV	—
VI^a	VI^a	VI^a	V	} VII
VI^b	—	—	—	}
VII	—	—	—	VI^{ab}
VIII	—	—	—	VIII
IX	IX	IX	—	—
X	X	X	X	—
XI	XI	XI	XI	—
XII	XII	XII	XII	—
XIII	XIII	XIII	—	—
XIV	XIV	XIV	XIV	—
XV	XV	XV	—	—
XVI	XVI	—	—	—

Cetera quae aut aliorum auctoritate aut nostra coniectura emendavimus in prolegomenis suis quaeque locis explicuimus. — Notae *A*, *B*, *Ne*, *St*, *Ch* significant editiones Aldi-

nam, Basileensem, Neandream, Stephanianam, Charterianam; *Nic.app.* est Nicandri Aldini appendix.

67—70. Tabulas Oribasianas inveni in codice Parisino 2243 (fol. 640 s.), eodem quo Du-Cangius usus est (prol. § 48). Est membranaceus sec. XIV (an XIII?), elegantissime exaratus, continetque post Nicolaum Myrepsum has tabulas ponderum et mensurarum. In quibus edendis, quam accuratissime fieri potuit, ipsam codicis scripturam exhibui. Nam Galeneas quidem tabulas, ubi nullo codice manu scripto uti licuit, ita emendare conatus sum, ut eam scripturam restituerem quae omnibus illarum tabularum codicibus antiquior esset: at in Oribasiana collectione edenda, cum bono codice uterer, id agendum fuit, ut eam formam exhiberem, in quam decimo fere saeculo nonnullae ex his tabulis redactae esse videntur. Nihil igitur nisi manifestos quosdam librariorum errores correxi: reliqua, etiamsi vitiosa essent, servavi. Emendatas igitur mensurarum rationes qui legere volet, adito Galeneas tabulas; qui autem scripturam aetatis Byzantinae cognoscere malet, is legito haec Oribasiana.

71—77 et 78—80. Harum collectionem priorem edidi e codice Paris. 2327 (fol. 292 s.), qui scriptus est in Creta a. 1486, alteram e Paris. 2275 (fol. 1 s.), quem Manuel Rosatius exaravit anno 1467. Hae duae collectiones reperiuntur etiam in cod. 2329 (fol. 216^b s.). Scriptus est hic ipse codex manu elegantissima saeculo XV; sed in fine plagulis paucis relictis aliquis vir doctus saeculo XVI vel etiam XVII festinanter et quam minutissimis litterarum ductibus adscripsit primum collectionem Cleopatranam, tum eam quae nobis est tertia. Quae nos praeter initium non contulimus. Ceterum in his collectionibus edendis eandem rationem secuti sumus quam modo ad tabulas Oribasianas explicuimus.

81. Fragmentum Περὶ μέτρων ex Ambrosiano codice (N) edidit Maius p. 155 (vide supra ad 4). Ego contuli Parisiensem 2475 fol. 79^b (P^b), Vindobonensem philos. 309 fol. 79^b (V), Monacensem 165 fol. 69^b (M). — § 3 corrupta esse apparet verba δυνατὰ ἔχων, ubi forsitan olim scriptum fuerit ἔστι δὲ ὁ μετρητὴς ἐλαιρὸς δυνάμει χοῶν ιϛ΄. Quamquam alia suadet Calvus in versione Latina

maiorem lacunam in Graeca scriptura esse indicans. Sed de his in altero volumine exponam. Quae eodem loco correxi ὁ μόδιος ἑκτεύς, et § 7 ὁ χοῦς τὸ ἑξάξεστον μέτρον, ea postea vidi comprobari auctoritate versionis Latinae. Denique eadem viam demonstravit ad reliqua verba quae § 7 leguntur emendanda. Ibi in codicibus inveniuntur numeri λθ′ et λιε′, in quibus explicandis diu frustra laboravi. Sed recordari debebam librae notam Hν saepe neglegentius ita exarari, ut numerali λ similis existat. Recte igitur in versione Latina IX et XV l i b r a e expressae sunt. Unde facile fuit reliqua certa ratione emendare.

82. Excerpta ex Epiphanii libro de mensuris ac ponderibus, cum libris manu scriptis uti non liceret, repetita ex Petavii editione partim coniectura, partim ex versione Latina reliquisque eius tractatus formis, quantum potui, emendavi. Dindorfianam autem eiusdem libelli editionem, quae nuperrime prodiit, postea demum accepi quam haec mei libri pars typis expressa est. Ergo hic et ea adnotanda sunt quae secus leguntur apud G. Dindorfium, et exponendum, quae ipse quibusque de causis novaverim. P. 259, 12. ὑπεσχόμεθα, Petavii coniecturam, recepit *Di.* — 22. τοσούτους pro τοσούτων ante me correxit *Di*, idemque vs. 24 τοσούτους pro τοσαῦτα suadet. — 23. βάδων *Di* et sic per δ ubique (vide tamen infra variam scripturam ad p. 260, 25). — P. 260, 2 κάβος pro κάμος iam Scaligerum emendavisse adnotat *Di.* Notum est litteram β in multis veteribus libris ita duci solere, ut a μ discerni vix queat[1]). Ut fragm. 84, 8 extr. κάμος habet codex 2031, at recte κάβος cod. 2361. Et in antiqua versione Epiphanii Latina in cod. Vatic. 3852 scriptum fuit Cauus, priusque u, id est β, correctum in B. — 12. χορία] χαρία *Di*, ut vulgo; item 17. εἰσι. — 25. 26. Vulgo legitur δώδεκα βάθου, et Dindorfii codex I habet ιβ′ βάδου, B ιβ′ βάθου; ipse Dindorfius edidit ιβ′ βάδων. Sed apparet βάθος scribendum esse idque pertinere ad proxima καὶ τοῦτο etc.,

---

1) Hanc litterae β formam significavi etiam in prol. § 108, ubi cum μ expressum sit, non ipsum μ exhibere volui, sed similem istam formam quam dixi, sic fere *u*.

ad δώδεκα autem repetendum esse μοδίων. V. fr. 85, 2 extr. — P. 261, 1 βάθος] *Di* tenuit vulgatum βάδου. — 5. παρήχθησαν] 'immo παρήχθη' *Di*. — 6. αὐτῇ] ταύτῃ *Di* scripsit e coni., ibidemque μνασὶς pro μανασῆς. — 7. δὲ δέκα] vulgatum δὲ καὶ servavit *Di*. — 12. ἥμισυ *Di*, ut vulgo. — 14. σάτος *Di* (σάτον B, ut vulgo, σατȣ I). — 18. δεῖν δὲ ἔτι] vulgatum διὰ δὲ τοῦ repetivit *Di*. — 20. καὶ] ἢ *Di*. — 23. ηὑρέθη *Di*. — P. 262, 7 ἐν ταῖς κβ′ βίβλοις *Di*. — 8. ἡμῖν ἐγενήθησαν *Di* ex I, sine lacunae nota. — 11. De μέντοι (sic etiam *Di*), Aegyptia modii appellatione, adii locupletissimum in hoc genere auctorem R. Lepsium, simulque quaesivi de Aegyptiis vocibus ἶν vel ἵνιον vel ἴνιον (fr. 60, 23. 78, 20. 82, 28) et ὀρτόβ (fr. 84, 11). Ad quae vir illustris humanissime haec fere respondit: videri ea vocabula adhuc in Coptica lingua exstare; nam ἶν (ἵνιον, ἴνιον) derivandum esse ex πι ϙνο[2]) (*hno*), i. e. *vas*; tum μέντοι, ubi οι sit Graeca terminatio, esse Copticum πι μεντ (generis masc.), i. e. *modius*; denique ὀρτόβ in eadem dialecto sonare πι ερτωβ, ερτοβ, ερτοπ, i. e. *artaba*. His igitur omnino ea comprobantur quae Epiphanius reliquique Graeci scriptores de istis mensuris tradunt. Addo minime haerendum esse in verborum structura quae est apud Epiphanium: Αἰγύπτιοι μέντοι τοῦτο καλοῦσι: nam et pluralis convenit cum plurali μόδια qui eodem loco bis legitur (vs. 9 et 12), et nominativum tuetur Epiphanianum fr. 83, 15: οὓς νουμμοὶ ἐκάλουν ἀπὸ Νούμμα. — 21. post Αἰγυπτίοις apparet deesse ὀρτόβ: vide fr. 84, 11. — 27. τὸ δ' αὐτὸ μέτρον *Di*; delendum igitur alterum τὸ in meo libro. — P. 263, 3 ἐγκρυφίας ἄρτους, quod Petavius coniecit, recepit *Di*. — 4. 5. γόμον *Di*, ut vulgo; item 6. ξεστῶν et 19. τὸ (ubi ego τι correxi). — 22. μεδεκὼθ *Di*. — 25. ἀμφότεροι] ἀμφότερα *Di*. — P. 264, 1 Ἀλεξανδρῖνος suadet *Di*, idemque 15. Ἀλεξανδρίνων, ubi e libris suis edidit Ἀλεξανδρεινῶν. — P. 265, 1 nota quaedam ex cod. Paris. 2665

2) Coptica vocabula Graecis litteris descripsi, cum ipsis Copticis formis officina careret. Et concedent omnes harum rerum periti his novis typis Teubnerianis percommode plerasque Copticas litteras exprimi posse.

excerpta me induxit, ut apud Epiphanium σταθμούμενον ederem; sed nunc σταθμώμενον restituo. — 2. λιτρισμὸν primus coniecit Scaliger. — 7. Ἀσσυρίων] ἀσσαρίων *Di*, ut vulgo; item 10. τῶν ρκε', et 11. οὐγγίαι. — 13. δύο] δὲ δύο *Di* secundum Scaligerum. — 15. Σίκλος *Di*, ut vulgo. — 17. η'' om. *Di*, ut vulgo. — 21. ἔχουσα] ἔχουσαν *Di*. — ρκε'] κε' *Di* secundum Scaligerum; at verum esse ρκε' ipsa Epiphanii ratio efficit, qui unciae tribuit sicla IV. Sic CXXV sicla efficiunt II S libras et unciam cum uno siclo. Atque hoc extremum est σίκλου ἑνὸς προσγινομένου, ut correxi vulgatam scripturam. — P. 266, 2 μέρος (μέτρον *Di*, ut vulgo) correxi collata versione Latina. Ibidem η'' (non receptum a *Di*) addidit Salmasius (v. prol. § 88 adn. 2), quod comprobat scriptura codicis 2665 ὄγδοον δ' ἦν (pro μέτρον δὲ εἶχε). — 5. ὂν post ὀγδοηκοστὸν ex I add. *Di*. — 9. ἐφηύροντο et p. 267, 1 ηὑρέθη *Di* invitis libris. — 13. 14. Μνᾶς *Di*, ut vulgo; item 13. μνήμη. Quae ego edidi repetivi partim e cod. 2665, partim e fragm. 83, 14, cui similis est locus Salmasianus exscriptus a me prol. § 88 adn. 2 extr. — 21. ἀγρύρου. τὸ δὲ ἄργυρον *Di*, ut vulgo. Ego gravissimos errores correxi et ex eodem codice et secundum Salmasium. Is enim hos locos multo emendatius edidit e libris quibusdam manu scriptis, qua de re vide § 88 adn. 4. — P. 267, 4 φόλης ὃ καὶ ταλάντιον *Di*, ut vulgo; item 6. φόλης. — 6. λεπτὰ] λεπτοὶ *Di*. — Notae quibus in adnotatione critica usus sum significant Petavii et Le-Moynii editiones (v. prol. § 87 adn. 1. 3), praeterea *Sa* Salmasii Confutationem et Refutationem (v. § 13 cum adn. 3).

83. 84. Est codex Paris. 2361 (P^1) qui continet Heronianam collectionem Περὶ μέτρων. His Heronianis adscripta sunt duo capita, alterum Περὶ ταλάντων, alterum Περὶ μέτρων (cod. pag. 466—69), quae nos inter tractatus Epiphanianos recepimus. Nec vero ulla est eorum cum Heronianis cognatio, nec probari potest, quod Salmasius Heroni ea tribuit (prol. § 90). Eiusdem collectionis fragmentum quoddam abscissum invenitur in codicis Paris. 2013 (P^1) folio 158. Ibi reliquae plagulae continent Isaaci Argyri monachi tractatum quendam geometricum; inter-

sertae autem sunt quattuor plagulae alia manu scriptae, e quibus extrema continet hunc Epiphanianum tractatum inde a verbis ἀπὸ * ἐξ οὗ καὶ τὸ νόμιcμα (p. 269, 16) usque ad παρ᾽ αὐτῶν ξεcτῶ (p. 272, 7). — Verborum contextum multis locis turbatum et corruptum, quantum fieri potuit, emendavi: nonnulla tamen intacta relinquere quam dubia coniectura immutare malui. — Fr. 83, 3, qui locus primum inexplicabilis mihi videbatur, denique veram rationem inveni, cum τρά, alteram vocis λίτρα partem, ex Hebraico חָרַע (Aramaico חְרַע), h. e. *findit*, derivari recordatus sum.

85—87. Haec fragmenta, ut in prol. § 91 demonstratum est, repetivi e cod. Par. 1630 fol. 194 et 114. Fragm. 86 et 87 ante me ediderat Le-Moyne in Variis Sacris (I p. 498. 496). — In fr. 85 nihil in codicis scriptura mutavi. — In fr. 86 cum alia rectius edidi quam Le-Moyne, tum § 12 δ΄ cτερεούc, quod exstat in codice, distinxi in δc΄ τερεούc atque ex τερεούc restitui Φιλεταιρείουc (conf. prol. § 21).

88. Fragmentum Eusebianum descripsi e cod. Paris. 2665 fol. 209[a], et praeterea usus sum apographo codicis Vossiani Lugdunensis O. 17 fol. 12—18. Conf. prol. § 88, VII. 92 adn. 3. Notavi priorem librum littera A, alterum B. — § 6 γραμμὰc κδ΄ cum Vossiano scripsi, quamquam scribi debuit γράμματα. Sed haec depravata forma (γραμμή pro γράμμα) non aliena fuisse videtur ab usu dicendi qui post saeculum VI obtinuit. Confer fragm. 72, 3, ubi γραμμᾶc in accusativo habet codex, quod illo loco propterea non recepi, quia e vetustiore tabula errorem corrigere licuit.

89. Excerpta e Iosepho leguntur in cod. Paris. 2665 fol. 207[b]. Vide prol. § 88, III.

90. Fragmentum de sextario scholii instar adscriptum est in cod. Paris. 2327 fol. 291[b], cuius scripturam ita emendavi, ut, quid exponere voluisset auctor, intellegi posset. [Postea demum cognovi eum locum in brevius contractum esse ex Etymol. M. v. ξέcτηc ac vidi non irrita me coniecisse.]

91. Vide prol. § 93.

92. In Pollucis capite περὶ νομισμάτων recensendo etsi novis codicum subsidiis non usus sum, tamen nonnulla rectius quam vulgo ferunt scripsisse mihi videor. Et haec igitur hic explicanda sunt et quaedam aliorum coniecturae afferendae, quas in adnotatione proponere non potui. — § 62 (p. 284, 23) in Cratetis versu Bekkerus non recepit ὀκτὼ 'βολοί a Meinekio (II p. 241) correctum; sed eam aphaeresin luculenter nuper confirmavit M. Schmidtius apud Hesychium 'βολοί· ὀβολοί restituens. (Per crasim ὀκτὼ ὀβολοί coniungit Ahrens. de cras. et aph. p. 13.) — § 71 (p. 288, 13) Hermippi verba sic scribenda proposuit Bergkius (Fr. com. Gr. V p. LXIII): οἴμοι, τί δράσω, σύμβολον κεκαρμένος; || τοὐμοῦ βίου κεκάρθ' ἔοικε θὔμιον. — § 73 (p. 289, 6) vulgatam scripturam ὡς ὑπό τι εὐηθες· τοῦτο ὑπολαμβάνουσιν Ὁμήρῳ μάρτυρι Kuehnius interpretatur: *insubide putant Homero teste.* At quid tandem, quaeso, est ὑπολαμβάνειν τινί pro πιστεύειν, *credere*, dictum? tum vero quae sana sententia ex ὑπό τι elici potest? Mihi non dubium videtur, quin in ὑπό τι verbi alicuius vestigia lateant, quo corrupto glossa ὑπολαμβάνουσιν primum in margine adscripta, tum in contextum inculcata sit. Hinc ὑποτιθέασιν scripsi, h. e. *istud qui dicunt falsam sententiam supponunt Homero.* — § 74 (p. 289, 16) ubi καλεῖσθαι correxi pro καλεῖν, olim καλεῖσθ' (ante ἀπό) scriptum fuisse existimo. Confer similia quae ex Polybio attuli in Philol. XIV p. 310 s. — Difficillimus est locus ex Menandri Παρακαταθήκῃ § 76 (p. 290, 20) citatus, ubi cum libri perverse habeant ἔστη κατηγορῶν, Casaubonus auctor exstitit vulgatae scripturae ἔστηκα τηρῶν. Verum in his ἔστηκα plane abundat, nec improbabile videtur ἔστησα, *appendi*, praesertim cum ὀλκὴν ταλάντου inde suspensum sit. Tamen ne ita quidem omnia persanata esse arbitror: quidni igitur, quoniam gravius locus turbatus est, paucas litteras inter se commutare audeamus Menandrumque scripsisse statuamus ἐκτήσαθ' ὁ γέρων, *senex (pater mortuus scilicet) haec tibi adulescentulo paravit?* Quae existimo verba esse aut tutoris aut alius hominis natu maioris puero summam pecuniae a patre relictae indicantis. — § 79 (p. 291, 18) ἄτομον si

genuinum esset, explicari deberet μὴ ἱκανὸν τέμνειν; quod cum fieri non possit, ἄτονον potius legendum videtur. — Iure mireris § 81 (p. 292, 11) Dindorfium et Bekkerum auctore Iungermanno edidisse διξᾶντα et τριξᾶντα, foedas vocabulorum formas. Qui si ea meminissent, quae Pollux ex eodem Aristotele lib. 4, 174 attulit, sine negotio verum invenissent. Nam etsi hoc loco prave in libris scriptum est ἓξ τάλαντα et τρία τάλαντα, tamen et ex ipsis corruptae scripturae vestigiis et collato altero loco apparet legenda esse ἑξᾶντα et τριᾶντα, quae iamdudum coniecerat Bentleïus (v. Opusc. philol. Lips. 1781 p. 416 s.). Ceterum accentum circumflexum servavi, quamquam Ahrensius de dial. Dor. p. 392 praefert ἕξας, gen. ἑξάντος, τέτρας, τρίας. Nam haec ut proprie Dorica esse concedo, ita aliena esse contendo ab Attici sermonis legibus. — § 82 priorem Epicharmi locum (p. 292, 23) egregie restituit Ahrensius p. 435 s. Nam et ὥσπεραὶ, non ὥσπερ αἱ (quod ταὶ esse debebat), scripsit Epicharmus, et ἀργύριον, h. e. ἀργυροῦν, recte habet Iungermanni codex, ubi vulgo ἀργυρίου editum est. Nec tamen consentio de ταὶ δ' ἀν' ἡμιλίτριον, ubi αἱ librorum scriptura servari debuit accentu relativi pronominis addito. Altero Epicharmi loco (p. 293, 1) prius vidi vulgatam scripturam minime probari posse quam, quid legendum esse videretur, expedirem. Sic enim haec dedit Bekkerus: ἐγὼ γὰρ τό γε βαλάντιον λίτρα || καὶ δεκάλιτρος στατήρ, ἑξάντιόν τε καὶ πεντώγκιον, ubi rectius Dindorfius πεντόγκιον per ο (πεττόγκιον libri), qua de forma vide Ahrens. p. 392. Sed his omissis nec nominativi βαλάντιον λίτρα cet. conveniunt cum ἐγώ, nec λίτρα vocabuli prior syllaba corripi posse videtur (v. p. 292, 25), nec καὶ genuinum est, nec omnino antiqua scriptura, quam vellem ex suis libris ad hunc locum attulisset Bekkerus, consentit. Affert Kuehnius e C. V.: τόγε β. λιτροκεδεκάλιτρος στατὴρ ἑξάντιών τε πεττόγκιον, atque eadem Iungermannus, nisi quod ἑξάντιόν. Hic apparet in λιτροκεδεκα latere λιτροδόκα, quam vocem et Photius v. λίτρα explicat et hoc loco glossa τό γε βαλάντιον interpretatur, quae glossa quin eiicienda sit, iam dubitari non potest. Itaque sic certa via ac ratione progrediamur.

Non est quod ἐγὼ γάρ suspectum videatur. Post haec igitur excidit verbum quoddam, quod quidem ipsa ista glossa suo loco expulit. Inde consentaneum est suspensos fuisse accusativos nummorum quos illa Epicharmi persona in sacculo se habere significat, et relinquitur voci λιτροδόκα nullus nisi dativi locus. Denique τε quod facile per errorem addi potuit expellendum, quo facto sic emendatus prodit locus: ἐγὼ γὰρ . . . (ἐμβαλὼν vel simile quid) || λιτροδόκᾳ λίτραν στατῆρ' ἑξάντιον πεντόγκιον. — § 83 (p. 293, 17) Ἀθηναίοις inepte scriptum est ad similitudinem dativi Μίδᾳ τῷ Φρυγί; minime enim interest, quorum in usum Erichthonius et Lycus nummos signaverint, sed illos ipsos Athenienses fuisse, idque scripsit Pollux: εἴτε Ἀθηναῖοι etc. — § 84 (p. 294, 1) vulgatum ὀνομάτων καταλόγῳ ferri non potuit. Confer paullo post § 87 τῷ περὶ νομισμάτων λόγῳ, atque omnino in hoc capite περὶ νομισμάτων agitur. Eundem errorem commisit is qui inscriptionem Περὶ εἰδῶν etc. huic Pollucis capiti praefixit. Ego utroque loco νομισμάτων restitui. — § 88 (p. 295, 9) Philippidis verba Cobetus (Mnem. IV p. 128) sic mavult dividi: οὗτος οἴεται περισπάσειν || κερμάτιον αὑτοῦ. — Ibidem (vs. 13) Aristophanis versum Bergkius (Fr. com. II p. 2 p. 1043) sic edidit: οὐδ' ἀργύρι' ἐστὶ κατακεκερματισμένα. Ac recte quidem scribit κατακερματίζειν, non κερματίζειν, illustrari a Polluce et eundem versum legi lib. 7, 170. Atque ibi κατακερματίσματα ex A affert Bekkerus, quae scriptura egregie confirmare videtur Bergkii coniecturam. Verumtamen cum hoc loco (vs. 20) Pollux pluralem ἀργύρια raro apud Atticos reperiri, eiusque usus nullum certum exemplum apud Aristophanem exstare commemoret, apparet eundem scriptorem non potuisse statim antea ἀργύρια ex Aristophane citare. Ergo ἀργύριον singulare servari necesse est; nec tamen κατακεκερματισμένον spernendum, siquidem sic versus trochaicus recte legitur primo pede truncatus: (— ῡ) οὐδ' ἀργύριον ἔστι κατακεκερματισμένον (similes numeros habes in Equ. vs. 280 s.). — § 89 (p. 295, 23) cum οὐ ante γνήσιον absit a libris, non immerito haec cuncta ὡς Ἀριστοφάνους γνήσιον inepti glossematis

loco habeas. — § 93 (p. 296, 30) pro ἀμφίβολον ἀναμφίβολον correxi, quod sententiarum connexus sine dubio requirebat. Etenim inde a § 90 scriptor de aeneis nummis instituit dicere, ac primum commemorat, quod nunc, h. e. sub Romanorum imperio, χαλκός appelletur, quam vocem collective accipit pro Latino *aes*, id olim apud Atticos fuisse χαλκίον (immo χαλκία), ipsum autem nummum aeneum ab iisdem nuncupatum esse χαλκοῦν. Tum addit in communi sermone nunc omnino χαλκόν dici pro ἀργύριον, h. e. *aes* pro *pecunia* sive *nummi*, atque eundem usum ex veteribus poetis secutum esse Epicharmum Siculum. Sed Atticos eo dicendi genere videri abstinuisse. Quamquam si quis vim quasi inferre velit Aristophanis verbis, eum demonstrare posse illos χαλκοῦς qui in Ecclesiazusis afferantur esse νόμισμα, h. e. pecuniam argenteam (quo de loco hic explicare non licet, sed peritos non fugiet aliter Aristophanea interpretanda esse, atque eadem est Pollucis sententia); sed utut ea res se habeat, certe id quod paullo post apud Aristophanem legatur minime ambiguum esse, nam cum diserte χαλκὸς ἀργύρῳ opponatur, apparere non idem quod ἀργύριον significare posse ipsum χαλκόν. Quis igitur dubitet, quin ἀναμφίβολον Pollux scripserit. Sed latet etiam alia labes hoc loco. Nam in verbis (vs. 26) ἴσως δὲ καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς cet. corruptelae suspitionem movet εἰ sine suo verbo positum, atque insuper requiritur verbum in sententia quae incipit ab ἴσως δέ. Nimirum κατηγορεῖ corruptum est ex κατηγορεῖν, quod mendum cum irrepsisset, et καὶ (vs. 26) scriptum est pro κἂν, et δηλοῖ (vs. 28) pro δηλοῦν. Haec vix dubia esse arbitror: ac vero si quis obiecerit participium non solere apponi ad κατηγορεῖν, etiam hoc defendere paratus sum. — De notis quibus in adnotatione ad Pollucem usus sum vide supra ad fragm. 28.

93. Vide prol. § 96.

94. Scholiorum Homericorum locos descripsi e Bekkeriana, Eustathii e Lipsiensi editione.

95. Fragmentum Alexandrinum de talentis in varias partes distractum primus edidit Scaliger (§ 99 adn. 1), tum Maius ex Ambrosiano codice (N) una cum Didymo (§ 14),

denique Vincentius ex schedis Letronnianis (*Rech.* p. 50 s.). Ego usus sum Paris. 2475 (P[b]) et Monacensi 165 (M). In his libris perinde atque in Ambrosiano id fragmentum tabulas Heronianas sequitur hoc ordine: 1. tabula Heroniana I, 2. tabula Heroniana II, 3. Περὶ ταλάντων, 4. Περὶ μέτρων (fr. 81). His subiuncta sunt in Ambrosiano et Parisino varia problemata Heroniana, in Monacensi autem ipse Didymi libellus qui in reliquis codicibus ante tabulam Heronianam I invenitur. Alios libros manu scriptos affert Martinus p. 212. Denique codice diverso ab his omnibus usus est Salmasius (v. § 99 adn. 2). — Inscriptio Περὶ ταλάντων Martino teste legitur etiam in Paris. 2351 et 1642, altera Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν ὀνομασίας in cod. 387 suppl. — Ad § 4 Scaliger p. 20 adnotat: χρυσοῦν τάλαντον *dixit, quod* χρυσοῦ *dicendum erat.* χρύσεια τάλαντα *sunt lances ponderariae aut libra momentanea,* χρυσοῦ τάλαντα *est* νόμισμα. — § 8 numerus ͵αρνβʹ a Salmasio sive coniectura sive e codice editus comprobatur et Calvi versione et Hesychii glossa Τάλαντον (quamquam haec inter se comparanda esse negat Boeckhius p. 297).

96. Fragmentum Maximi ante me edidit Le-Moyne p. 497 e codice Paris. 1630. Quem cum denuo conferrem, id fragmentum duobus locis inveni, primum fol. 114[b], tum fol. 194[b]. Significavi alterum locum nota A, alterum B.

97—101. Vide prol. § 101. 102.

102—107. Apud lexicographos Graecos cum alia inveni permulta, quae minus recte edita essent, tum numeros nonnullos foede corruptos certa via ac ratione sanavi. Quod quam facili opera plerumque fieri potuerit, dummodo notae ac signa numerorum recte et intellegantur et adhibeantur, cum aliis ex locis tum ex Suidae glossa πλέθρον licet perspicere. Ubi non solum notam bessis restitui, sed etiam perversum illud πόδας ληʹ distraxi in πόδας ἄ, h. e. μυρίους, atque ἢ praefixi sententiae ei quae sequitur (conf. prol. § 106 extr.). Praeterea haec commemoranda videntur. Apud Hesychium in voce μίλιον recepi emendationem Ideleri (*Abhandl. d. Berlin. Akad. Hist. Cl.* 1812—13 p. 192); addo autem in ipsa forma ὑποδῶν latere S ποδῶν; nam nota semissis in

libris ita duci solet, ut ab υ vix differat. Nihil igitur nisi ζ′ post δὲ et φ′ in fine Idelerus addidit. Quae quod fugerint Schmidtium, non reprehendo equidem — tum enim, cum illa edidit vir de Hesychio omnium optime meritus, nondum erat vulgata earum rerum notitia — sed tamen, ut in re incerta, abstinere debebat iis coniecturis quibus depravaretur genuina scriptura, non emendaretur. Quod maxime factum est in glossis ἀσάριον et κοδράντης, de quibus in prol. § 103 accuratius disserui.

Postquam Hesychii locos sedulo conquisitos et electos in meum librum iamdudum contuleram, prodierunt huius anni initio Schmidtianae editionis fasciculi ultimi, quibus indices copiosissimi continentur. Hic mensurarum ponderum nummorum appellationes collectae sunt p. 56—58. Quae cum viderem, primum aegre ferre çoepi, quod ipse tantum laborem inutiliter suscepisse viderer; sed tamen mox intellexi nonnulla a me collecta esse quae aut consilio aut casu Schmidtius praeteriisset. Sic legis in meo libro haec omissa in catalogo Schmidtiano: ἀσαρθά, δαρχμάς, ἴβανον, κάδος, μεδιμναῖον, ὁλκή, Σολοιτύπος, τρυβλίον, χρυσία. His accedunt plurima quae vocabulis κυτύλη vel τρυβλίον vel ὀξύβαφον vel similibus explicat Hesychius, ut ἄλιρ, ἄφυσσαν, ἀφύστα, βάφιον, γαβαθόν, γάβενα, γάμβριον, ἐμβάφιον, ζαμάτιον, λιδρίον, παντάνα, πάτανα, πελάχνιν. Quae Schmidtius suo iure aliis sub titulis collegit: ego tamen eadem hinc abesse nolui, quia facile in iis mensurarum, non vasorum, appellationes latere possent. Ac similibus de causis nonnulla alia recepi praeter Schmidtiana, alia contra quae nihil ad res ipsas metrologicas pertinere viderentur omisi, quae vide apud Schmidtium.

Denique ex iis quae apud Suidam correxi unum hic affero τρικότυλον p. 337, 9 ex τριώβολον, quod neutiquam ferri potuit, emendatum. Nimirum is auctor quo Suidas usus est Aegyptiam choenicem significavit, quae est cotylarum III (v. prol. § 73. 76); idem autem in eo erravit, quod eam choenicem cum Attico modio comparavit.

PROLEGOMENA

IN

SCRIPTORES GRAECOS.

De scriptoribus metrologicis in universum exponitur.

Nullum fere esse doctrinae et litterarum genus, quod 1
Alexandriae, in nobilissimo Aegypti capite, non diligentissime excultum sit et mirificum ad florem perductum, ita inter omnes constat, ut vix quidquam novi ad eam rem afferri posse videatur. Tamen plerosque adhuc fugit illarum etiam litterarum, quae spectant ad mensurarum ponderum nummorum scientiam, et fontem et sedem eadem in urbe fuisse. Nam superioribus saeculis etsi Herodotus primus omnium de mensuris ponderibusque cum aliarum gentium tum Graecorum quaedam tradiderat, atque aliquanto post Aristoteles in rerum publicarum libris variarum civitatum mensuras et nummos brevius descripserat, cui accesserunt Theophrastus, discipulus eius, aliique, tamen ante Ptolemaeorum aetatem nemo videtur exstitisse, qui ex professo, ut aiunt, in has res inquireret earumque scientiam redigeret in artis modum.

Omnino nulla gens prius agrorum omniumque rerum quas longitudine et latitudine metimur certas mensuras invenit, nulla accuratius mutuas earum rationes constituit, nulla denique sanctius per plurima saecula servavit quam veteres Aegyptii. Cuius artis et disciplinae cum Ptolemaei reges heredes quasi facti essent, quamquam novas quasdam mensuras, accommodatas ad Graecorum usum, in regnum introducebant, tamen et modum antiqui cubiti regii et plerasque agrorum mensuras, ne multa, gravissima quaeque intacta reliquerunt. Atque iidem priorum regum exemplo edixisse videntur, ut mensurarum et veterum et novarum rationes in tabulas redigerentur, quibus omnes

uti possent. Cuius generis tabulas Hero Alexandrinus, qui varia geometrica et stereometrica in usum popularem scripsit, in libros suos recepit. His deinde Romani usi sunt, cum Aegypto in provinciae formam redacta antiquis mensuris, quas quidem minime aboleverunt, addiderunt Romanum pedem et iugerum. Hinc novae tum tabularum formae atque aliae porro posterioribus temporibus factae, e quibus nonnullae inter reliquias Heronianas ad nostram aetatem permanserunt. Ac vero quaecumque aut Hebraei Graecas litteras docti, ut Iulianus Ascalonita, aut Romani de mensuris porrectis et agrestibus scripserunt, ea omnia composita sunt ad similitudinem tabularum Heronianarum.

Non minorem curam ac diligentiam Ptolemaei impenderunt et mensuris frumentariis vinariis reliquisque et nummorum ponderibus definiendis, quorum cum studium postea imitarentur Romani, non defuerunt qui de his mensurarum rationibus accurate scriberent, ut optimus ille scriptor περὶ ταλάντων (§ 99), ut alius quidam περὶ μέτρων (§ 86), ut auctor ille quo Pollux usus est in definiendis talentis (§ 95).

Primum Alexandriae floruit etiam ea mensurarum et ponderum scientia qua medicis opus est in formulis medicamentorum perscribendis. Quo de argumento permultos diligenter exposuisse et Galeno auctore scimus et plurimis aliis e vestigiis colligimus. Hinc variae illae tabulae ortae sunt quas medicinales appellamus (§ 40), eaeque variis rationibus temporum decursu immutatae, cum denique post Constantinum in eam formam redactae sunt quae nunc exstat. Quibus tabulis quanta auctoritas per omnem antiquitatem tributa sit, gravissimum documentum hoc est, quod iisdem usque ad saeculum tertium decimum in imperio Byzantino medici usi sunt. Atque ad alias etiam regiones et ad recentiora tempora earundem usus valuisse videtur.

Haec quidem de mensuris ac ponderibus scripta Alexandriae fontem et originem habuerunt: aliud autem earum litterarum genus excultum est a viris doctis Christianae aetatis, qui cum ad scripturam Sacram interpretandam omne studium conferrent, mensuras etiam et pondera ac nummos quae ibi inveniuntur explicare sibi proposuerunt.

Hoc in genere quoniam maxime insignis fuit Epiphanius episcopus, qui librum περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν composuit, multi secuti sunt qui ex illo libro quae sibi placerent eligerent brevioresque inde tractatus aut ipsius Epiphanii nomine, aut aliorum, ut Eusebii, conficerent.

Denique postquam Constantinus imperator totam rem nummariam restituit atque inde nova nummorum genera vulgata sunt, utile visum est quibusdam eorum rationes accuratius exponere et cum vetustioribus comparare. Quo ex genere pauca breviora fragmenta nobis relicta sunt.

Haec sunt quae de scriptoribus metrologicis Graecorum in universum disserenda existimaverim. Quod argumentum, ut res ipsa ferebat, breviore disputatione absolvi: iam vero restat, ut ex ordine de singulis fragmentis quae hoc volumine continentur copiosius exponatur.

Primum igitur in ea fragmenta quibus de porrectis et quadratis mensuris agitur est inquirendum.

De Pollucis loco quo mensurae exponuntur et fragmento Greavesiano.

Quibus mensuris Graeci antiquitus uti consueverint, 2
breviter exponit Herodotus, vetustissimus auctor idemque gravissimus, qui, cum pyramides in Moeride lacu conditas centenarum orgyiarum altitudine fuisse scribit, haec de mensurarum ratione addit (2, 149): αἱ δ' ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαί εἰσι στάδιον ἑξάπλεθρον, ἑξαπέδου μὲν τῆς ὀργυιῆς μετρεομένης καὶ τετραπήχεος, τῶν ποδῶν δὲ τετραπαλαίστων ἐόντων, τοῦ δὲ πήχεος ἑξαπαλαίστου. Atque his verbis non solum, quae sit singularum mensurarum inter se ratio, docet, sed etiam omnem mensurarum definitionem revocandam esse significat ad partes corporis humani, cubitum, pedem, palmum. Neque aliter Heronem Alexandrinum statuisse ex initio quintae tabulae Heronianae perspicitur: τὰ μέτρα ἐξηύρηνται ἐξ ἀνθρωπίνων μελῶν, ἤγουν δακτύλου, κονδύλου, παλαιστοῦ, σπιθαμῆς, ποδός, πήχεως, βήματος, ὀργυιᾶς καὶ λοιπῶν. Iam cum paullo accuratius de his corporis humani mensuris exponat Pollux in Onomastico

(2, 157 s.), hunc locum primum omnium ponendum esse existimavimus, cui statim memorabile illud fragmentum subiunximus, quod ficto Heronis nomine attulit J. Greavesius, cum de Romano pede et denario disputaret[1]). Differt hoc fragmentum ab omnibus et Heronianis et reliquis, nec tamen, etsi quo ex libro manu scripto petitum sit non docemur, fides eius suspecta esse videtur. Nam quae ibi proponitur mensurarum definitio et cum corporis humani natura optime congruit et egregie accommodata est ad Pollucis locum illustrandum; quoniam eaedem mensurae, quae ab illo scriptore afferuntur, hoc loco et repetuntur et cum digito, minima mensura, comparantur.

Graecorum mensurae in Aegyptum translatae.

3 Quae praeterea de mensuris Graeco sermone scripta exstant, ea nec in ipsa terra Graecia nec florentibus liberis Graecorum civitatibus, sed post Alexandri Magni aetatem in regnis ad quae tum Graecorum cultus et litterae permanaverunt, maxime in Aegypto, orta sunt. Nam velut linguae vernaculae leges et propriam consuetudinem non satis bene cognoscimus, nisi contulerimus aliarum gentium sermones: sic mensurarum quibus vulgo utimur certas et exactas rationes non prius curare solemus quam cum ceterarum gentium mensuris has comparare necesse sit. Quod verissime etiam de Graecis dici potest. Etenim nec Herodotus Graeci cubiti quem μέτριον vocat mensuram trium digitorum discrimine definivisset, nisi hunc a regio vel Persico cubito distinguendum esse vidisset, nec vero Ptolemæi Aegypti reges accuratas mensurarum tabulas proponi easque ad populares rationes accommodari iussissent, nisi diversa ab his mensurarum genera antea apud Aegyptios usitata fuissent. Qua de re, quoniam omnis de Heronianis fragmentis disputatio hoc habet quasi fundamentum, statim hoc loco breviter exponendum esse videtur, quamquam accuratius de eodem argumento postea disseremus.

Ab antiquissimis temporibus cubitum Graeca mensura

---

1) *Miscellaneous works, Discourse of the Roman foot and denarius* p. 187.

paullo longiorem qui regius vocabatur Aegyptiis in usu fuisse satis constat (§ 16). Cum vero Ptolemaeus, Lagi filius, Aegypti regno potiretur, etsi ipsam cubiti mensuram immutare non ausus est, tamen et novam eius descriptionem fecit, quae prorsus accommodata esset ad Graecam consuetudinem, et mensuras quasdam Aegyptiis antea ignotas, ut plethrum et stadium, addidit[1]). Unde cubitum Aegyptium, qui differret a vulgari Graecorum usu, Ptolemaicum appellare coeperunt. Atque hoc quidem nomen maxime memorabile exstat in illo Didymi Alexandrini libello quem de mensuris marmorum et lignorum scripsit, de quo, cum ab hoc loco alienum sit, infra (§ 14) uberius dicemus. Sed electa quaedam ex eo ipso libello, ne omnibus fragmentis metrologicis in unum corpus redactis gravissimum testimonium iniuria abesse videretur, in conspectu posuimus. Quae quidem electa cur praemiserimus tabulis Heronianis, postea satis demonstrabitur. Haec igitur Didymea in nostro libro excipiuntur fragmentis Heronianis quibus nihil memorabilius exstat ad veterum mensuras porrectas cognoscendas. Atque equidem cum ad id argumentum difficillimum pervenerim, unde initium disputandi faciam, admodum ambigo: sed tamen hoc primum commemorandum videtur ad eundem cubitum Ptolemaicum atque apud Didymum in vetustissimo ex his fragmentis omnes mensuras definiri, nomen tamen cubiti aliud esse, quippe qui et regius dicatur et Philetaereus; praeterea autem in easdem tabulas pedem Italicum et iugerum, Romanorum mensuras, receptas esse. Quae cum praemisimus mox ad eandem rem redituri, iam de origine horum fragmentorum quaerere instituamus.

Quaestionis de Heronibus initium.

4 Totius autem disputationis initium fieri debet ab ea quaestione, quisnam ille Hero cuius nomine hae reliquiae inscribuntur fuisse videatur. Ac multorum quidem Hero-

1) A primo Ptolemaeo rege haec instituta esse nostra est coniectura, de qua vide Fleckeiseni Annales eo loco quem § 16 adn. 2 extr. citabimus.

num qui libros conscripserint notitiam habemus — decem fere video enumerari — verum tamen ex omni numero tres iure elegerunt quos de mensuris et geometria scripsisse aut exploratum esset aut probabile videretur. Qua de re cum primus Fabricius in Bibliotheca Graeca[1]) quaedam attulisset, satis longo intervallo nostra demum aetate id argumentum accuratius retractare coeperunt. Nam cum anno huius saeculi XVI ab Academicis Parisiensibus propositum esset, ut ratio mensurarum ab Herone Alexandrino traditarum explicaretur et cum ceteris veterum mensuris compararetur[2]), Letronnius, vir praeter ceteros subtilis iudicii, tam egregie de hoc argumento disputavit, ut sollemne doctrinae praemium ei tribueretur. Sed ipse postea hunc librum vel aliis studiis occupatus vel religiosa quadam modestia retentus edere noluit, quem post mortem eius anno demum huius saeculi LI edidit Vincentius[3]). In idem argumentum ab Academicis propositum simul cum Letronnio inquisiverat comes Fortia d'Urban, qui tamen in commentatione sua paullo post edita[4]) nihil fere quod ad rem explicandam pertineret attulit. Porro de Herone ut quaereret adductus est Augustus Boeckh, cum de mensuris et ponderibus ac nummis veterum scriberet[5]), qui, etsi

1) Tom. II p. 591—595, tom. XIV p. 546 editionis veteris (a. 1707 et 1728); quae nonnullis additis aucta sunt ab Harlesio in nova Bibliothecae editione, tom. IV p. 234—239.

2) *Question proposée par la classe d'histoire et de littérature ancienne pour l'année 1816: Expliquer le système métrique d'Héron d'Alexandrie, et en déterminer les rapports avec les autres mesures de longueur des anciens.*

3) *Recherches critiques, historiques et géographiques sur les fragments d'Héron d'Alexandrie ou du système métrique Egyptien. Ouvrage posthume de M. Letronne revu par A. I. H. Vincent. Paris 1851.*

4) *Explication du sistème métrique de Héron d'Alexandrie et determination de ses rapports avec les autres mesures de longueur des anciens.* Vide *Litterarische Analecten von Fr. A. Wolf* tom. III p. 205—225 (a. 1818), vel Fortiae *Traduction française d'Aristarque de Samos,* Paris 1823 (indicatam a Martino p. 244 n. 12).

5) *Metrologische Untersuchungen* p. 8—11.

paucis admodum de ea re disseruit, luculenter tamen nonnulla quae obscura essent illustravit. Nuper vero bene ac feliciter contigit, ut statim postea quam Letronnianum opus editum esset, ad eandem quaestionem Henricus Martinus studia conferret atque uberrime de Heronianis reliquiis scriberet [6]). Quem praestantissimum librum cum iam in manibus habeamus, tandem aliquando de argumento gravissimo certius licet iudicare.

De Herone Alexandrino, Ctesibii discipulo.

Tres Herones veterum memoria fuisse diximus qui de 5
mensuris scripsisse viderentur. Horum primus est ille Alexandrinus, Ctesibii discipulus, rerum mathematicarum et mechanicarum scientia nobilissimus [1]). Qui quo tempore vixerit, ex Aristoclis testimonio colligitur quod apud Athenaeum [2]) legimus: aequalem fuisse Ctesibium regi Euergetae alteri, hoc est Ptolemaeo VII Physconi, qui ab anno CLXX ad CXVII a. Chr. n. regnavit. Sequitur igitur, ut Hero, discipulus illius, exeunte fere saeculo secundo a. Chr. n. floruerit. Eundem ad primi saeculi initia vitam perduxisse non negaverim equidem, nec tamen Martini [3]) sententia, qui ad medium saeculum primum illum vixisse statuit, satis mihi probabilis videtur. Qui quidem ita ratiocinatur: in fragmento libri Heroniani qui Βαροῦλκος inscribitur vocabula e Latino sermone petita, πάσσος, μιλιάριον,

---

6) *Recherches sur la vie et les ouvrages d'Héron d'Alexandrie et sur tous les ouvrages mathématiques Grecs qui ont été attribués à un auteur nommé Héron.* Editus est hic liber in annalibus Academiae Parisiensis qui inscribuntur *Mémoires présentés par divers savants à l'Acad. des Inscr., serie I, tome IV, Paris 1854.*

1) Vide Fabricii Biblioth. Gr. IV p. 234 (Harles.), Letronnii *Rech.* p. 26 s., Martin. p. 22—240.

2) Deipnos. 4 p. 174 D. Iniuria Fabricius aliique (citati a Martino p. 23) Ctesibium sub Ptolemaeo II Philadelpho et Ptolemaeo III Euergeta, hoc est tertio saeculo, vixisse statuerunt, quam opinionem luculenter refellit Schweighaeuser. Animadv. in Athen. tom. II p. 636 s., cui assentiuntur Boeckh. p. 8 et Martin. p. 24.

3) P. 26—28.

ἀccάριον, reperiri; haec autem non ante Ptolemaeum X, qui a Sulla rex institutus est, Aegyptiis usitata fuisse videri; ergo post illum ad annum L a. Chr. n. vixisse Heronem. At vero non ante quam provincia facta est Aegyptus, aliquanto igitur post Ptolemaeum X, ista Latina vocabula ab illis recepta esse apparet, quae cum in fragmento operis quod Heronis nomen prae se fert legantur, hinc potius efficitur non ab ipso Herone illam Barulci partem quae a Martino citatur scriptam esse, sed posteriore tempore a viro harum rerum perito ita e genuino Heronis libro esse transcriptam et mutatam, qualem nunc legimus. Quae argumentatio vereor ne quibusdam non satis perspicua sit, nisi in universum de variis illis libris mathematicis et mechanicis qui Heronis nomine inscripti sunt disseratur: sed tamen et longum est haec exponere et alienum ab hoc loco, nec paullo post ad eandem rem redeundi deerit occasio.

De Herone altero, Procli magistro.

6 Alterum Heronem mathematicum quinto p. Chr. n. saeculo fuisse traditur, cuius cum olim nulla fere ratio haberetur, nuper gravissima de eo disceptatio orta est, cum a Letronnio et geodaesiae et eorum fragmentorum de quibus agimus auctor esse iudicaretur. Sed haec quaestio Martini acumine et sollertia nunc ad finem adducta est, nec quemquam fore existimo qui iam hunc Heronem illum librum scripsisse arbitretur. Auctor est in vita Procli Marinus[1]) usum esse Proclum Alexandriae in mathematicis magistro Herone. Iam cum Proclus anno XII quinti saeculi natus sit, eodem igitur saeculo fere medio ad maturiorem aetatem pervenerit, sequitur, ut Hero ille anno fere XXX vel XL Alexandriae de rebus mathematicis scholas habuisse putandus sit[2]). Praeterea autem nihil de eo compertum

---

1) Marini Vita Procli ed. Boissonade (Lips. 1814) p. 7: ἐπανελθὼν δὲ πρότερον εἰc Ἀλεξάνδρειαν — φοιτᾷ ἐπὶ μὲν Ἀριcτοτελικοῖc παρ' Ὀλυμπιόδωρον τὸν φιλόcοφον, οὗ κλέοc εὐρύ, ἐπὶ δὲ μαθήμαcιν Ἥρωνι ἐπέτρεψεν ἑαυτόν, ἀνδρὶ θεοcεβεῖ καὶ τελείαν παραcκευὴν ἐcχηκότι τῶν κατὰ παίδευcιν ὁδῶν

2) Letronn. p. 28.

habemus. Nam quod Letronnius librum de elementis geometriae ab eo scriptum esse Eutocio[3]) auctore existimavit, in duplicem errorem inductus est, cum nec Hero eius operis auctor sit, sed, ut in omnibus libris legitur, Heronas quidam, et liber iste ab Eutocio citatus non tam ipsa elementa geometriae quam commentarium in Nicomachi introductionem arithmeticam contineat[4]).

De Herone tertio Byzantino.

Restat, ut de tertio Herone quaeramus. De quo etsi 7
nemo veterum scriptorum quidquam prodidit, satis tamen notus est ex iis quae scripta reliquit. Extant enim et libri eius de machinis bellicis ac de geodaesia, quos in Latinum sermonem e codice Graeco Bononiensi conversos edidit Franciscus Barocius[1]), et alia nonnulla de re militari et agricultura ab eodem scripta esse videntur[2]). Qui quo tempore vixerit, a multis et doctissimis viris singulari acumine quaesitum est. Nam cum in loco geodaesiae auctor de stellarum quarundam progressu inde a Ptolemaei aetate facto commemoraret, inde, quot saecula a Ptolemaeo ad

---

3) Eutocii in Archim. comment. (ed. Hervag. Basil. 1544) p. 28: ὥϲ φαϲιν ἄλλοι τε καὶ Νικόμαχοϲ ἐν τῷ πρώτῳ τῷ περὶ μουϲικῆϲ καὶ Ἡρωνᾶϲ ἐν τῷ ὑπομνήματι τῷ εἰϲ τὴν ἀριθμητικὴν εἰϲαγωγήν.

4) Martin. p. 240.

1) Heronis liber de machinis bellicis nec non liber de geodaesia a Franc. Barocio versi. Venet. 1572. Graecus contextus praeterea exstat in codice Bodleiano, unde decimum caput sibi describendum curavit Letronnius (*Rech.* p. 31). Accuratissime, ut solet, et de Barocii editione et de codicibus manu scriptis Graecis disputavit Martinus p. 250—257, qui etiam partem Πολιορκητικῶν — is enim est Graecus titulus — primus edidit (p. 446—473).

2) Vide Martin. p. 324—387, quem tamen non ita citamus, ut omnia quaecunque Heroni suo tribuit, ad illum pertinere consentiamus — nam de nonnullis quidem dubium est, an fictum potius Heronis veteris mathematici nomen libris inscriptum sit. Sed breviter haec quaestio admodum subtilis et paene inexplicabilis absolvi non potest. Quam si quis ad liquidum perducere sibi proposuerit, vix minore volumine quam quod Martinus scripsit rem conficiat.

Heronem praeteriissent, sollertibus rationibus computaverunt. Quae res quam subtilis sit, dici vix potest; unde plurimos in errorem inductos esse non mirum videtur; sed alii non dubium est quin verum invenerint. Etenim cum priores a Blancano ad Letronnium omnes[3]) initio septimi saeculi Heronem vixisse statuissent, recte Idelerus[4]) longius annorum spatium computandum et Heronis aetatem ad decimum saeculum proferendum esse vidit. Hinc porro efficitur eum non, ut nonnulli opinati sunt, Alexandriae, quae tum iam a barbaris tenebatur, vixisse. Immo Constantinopoli libros suos illum scripsisse ex accurata geodaesiae exploratione effecit Martinus[5]), ac praeterea et de persona auctoris eiusque studiis et de proposito quod in libris scribendis tenuisset plurima ingeniosissime eruit atque indagavit. Quamquam unum quod etiam nunc dubium videtur nolim silentio praetermittere. Etsi enim pro comperto habemus, quo et loco et tempore auctor vixerit, nec quisquam haec opera ad antiquiorem Heronem pertinere potest dicere — nam, ut significavi, certa est auctoris persona — tamen nomen certum esse affirmare non ausim. Etenim quam facile fieri potuisse censemus, ut, cum nomen auctoris ignoraretur, opera illa, ut tot similia, veteri Heroni tribuerentur? Qua de re ipse Martinus suspicionem movit[6]); sed tam caute et prudenter omnibus rebus circumspectis rationem duxit, ut nobis quoque illi de quo agitur Heroni nomen fuisse etsi non certum, tamen veri simile videretur.

Ad quem Heronem fragmenta de mensuris pertineant.

8 Ita cum de Heronibus mathematicis, qui fuerint et quo quisque tempore vixerit, satis pro proposito dictum videatur, iam hoc quaerendum est, quaenam sit illorum fragmentorum de mensuris origo quae Heronis nomine inscri-

3) De his quoque uberrime et diligentissime exponit Martinus p. 267—272, quae hic vel brevissime repetere longum est.

4) *Abhandl. der Berliner Akad.* 1812—1813 p. 198. Cuius ratio egregie confirmata est a Martino p. 272—276.

5) P. 277—321.

6) P. 322 s.

pta sunt. Nimirum summa fuit de ea re dubitatio, nec certi quidquam, cum cardo quasi quaestionis non inveniretur, erui potuit. Etenim olim Heroni tertio tribuerunt, cuius opinionis cum auctor esset Fabricius[1]), secuti sunt ante Letronnium omnes. Is vero, etsi falsam esse istam opinionem recte vidit, tamen in alium errorem inductus est, cum secundum Heronem, Procli magistrum, auctorem esse statueret[2]). Quae autem causa fuit erroris? Nec tertio Heroni haec fragmenta tribui posse intellexit, nec per temporum rationem ad antiquum Heronem ea referre licere: ergo unum relinqui secundum Heronem, quem quidem ea scripsisse necesse sit. At Martinus, qui accuratissime omnia exegit, nec credibile esse demonstravit alterum Heronem libros mathematicos maiores scripsisse[3]), et rei a tot viris doctis frustra tentatae novam lucem eo attulit, quod, quemadmodum omnino quaestio instituenda esset, primus ingeniosa coniectura invenit. Cum enim variis temporibus atque a variis auctoribus illa fragmenta scripta esse appareret, omnino nullum ex tribus Heronem eorum auctorem dici posse, sed novum quaerendi modum incohandum esse rectissime collegit. Quid? si nemo ex tribus Heronibus ista fragmenta scripsit, quae quidem omnia, quamvis varia sint, Heroniana perhibeantur: quidni communis eorum fons fuerit, unde primum hausta, postea ab aliis aliter immutata et variata sint? Hoc si concesseris, cetera sine negotio expediuntur. Facile enim ab Herone Alexandrino, vetere mathematico, primam illarum reliquiarum originem repetendam esse demonstratur.

De Heronis Alexandrini libris mathematicis.

His igitur et inventis et constitutis summa laude di- 9
gnum esse Martinum diximus: nec tamen omnis eius argumentatio probari nobis potest. Qua de re quo expeditius dicamus, primum quae ab isto proposita sint[1]), breviter

1) Biblioth. Gr. tom. II p. 594 s. ed. vet.
2) *Rech.* p. 74—78.
3) P. 240—242.
1) P. 98 ss. 102. 104. 120. 176.

inscripta fuerit Εἰϲαγωγαὶ τῶν γεωμετρουμένων[12]). Denique de introductione in stereometriam, quae Εἰϲαγωγαὶ τῶν ϲτερεομετρουμένων inscribitur, quoniam alienum est ab hoc argumento, supersedeo dicere[13]).

Metrica Heronis geometriae partem fuisse.

10 Iam Martinus, ut supra vidimus, hos omnes Heronis libros partes fuisse suspicatus est unius amplissimi operis, quod Μετρικὰ inscriptum fuisse censeret. Verum tamen, ut iam significatum est, hanc ipsam inscriptionem tali operi praetextam fuisse quam maxime est incredibile. Huc accedit, quod nulla omnino causa nec cogitari nec proponi posse videtur, unde illos varios libros unius operis partes fuisse cum aliqua veri specie statuas; qui quidem singuli quidni separatim editi fuerint ab Herone? Denique, quod est omnium gravissimum, si ipsos codices manu scriptos inspicimus, expressis vestigiis, quid de metricis Heronis iudicandum sit, cognoscimus. Nam tantum abest, ut hoc nomine omnes Heroniani libri de rebus arithmeticis et geometricis scripti comprehendi possint, ut nihil nisi pars quaedam eius libri, quem Γεωμετρούμενα inscriptum fuisse supra demonstravimus, metrica fuisse videantur. Quid enim, quaeso, Μετρικὰ, Graecum vocabulum significat nisi doctrinam metiendi, vel dicam, praecepta de men-

---

12) In codice Parisiensi 1670, qui ceteris Heronianis et vetustior est et praestantior (Martin. p. 120) haec inscriptio legitur: Ἀρχὴ ϲὺν θεῷ τῆϲ γεωμετρίαϲ; hinc statim altera inscriptio sequitur Εὐκλείδου περὶ γεωμετρίαϲ, ubi in cod. 2013 Εὐκλείδου interpunctum et Ἥρωνοϲ suprascriptum est. Paullo post reperiuntur Ἥρωνοϲ ἀρχὴ τῶν γεωμετρουμένων, tum Ἥρωνοϲ εἰϲαγωγαὶ τῶν γεωμετρουμένων. Quod vero in fine legitur Πεπλήρωται ἡ τῶν ἐπιπέδων κατὰ ἔκθεϲιν Ἥρωνοϲ μέτρηϲιϲ, hoc ipsum etiam geometriam significare vides collata alius codicis clausula Ἥρωνοϲ γεωμετρικὴ εἴτουν ἐπίπεδοϲ μέτρηϲιϲ — ἤδη πεπλήρωται. Ex his igitur vestigiis satis perspicuum est ipsi Heronis operi Γεωμετρούμενα (vel Γεωμετρία, sed alterum probabilius videtur) inscriptum fuisse atque illas Εἰϲαγωγὰϲ τῶν γεωμετρουμένων partem fuisse eius ipsius operis.

13) Vide Martin. p. 176—187, et nos infra § 38.

suris et rebus dimetiendis? Quapropter iam non mirandum est, quod idem argumentum in eodem codice et Μετρικὰ et paullo post Περὶ μέτρων inscriptum est. Unum tamen in quaestione difficillima ad liquidum perduci vix posse non me fugit: utrum ipse Hero suae geometriae partem Μετρικὰ dixerit, an ii qui postea libros eius vel interpolaverunt vel contraxerunt id nomen invenerint. Quamquam ego, quoniam in rebus tam obscuris, ubi deficit ratio, peritis et expertis suo cuique iudicio ac probabili suspicione uti licet, ab interpolatoribus demum hoc nomen inventum esse existimaverim. Ac nescio an Eutocius de mensura circuli scribens minus recte Μετρικὰ Heronis citaverit, quae Γεωμετρούμενα potius dicenda fuerint. Quod utcunque se habet, hoc certe dubitari non posse arbitror, quin Heronis metrica eiusdem geometrico operi, non geometria metricis subiungenda sint.

Heronem in geometria de mensuris scripsisse.

Iam vero accedimus ad alterum locum, de quo, cum de 11 metricis quid iudicandum sit, satis explanaverimus, facilius disputatur. Vidimus Martinum vel negare vel non satis sibi persuadere ab ipso Herone in geometria de mensuris scriptum esse. Hoc tamen ipsum ut per se maxime probabile est — nam quo pacto, nisi fons esset in Heronis opere, illae tabulae de mensuris Heronis nomine propagatae essent? — ita, dummodo ipsis libris manu scriptis utamur ducibus, quid statuendum sit, facile demonstratur. Est inter codices Parisienses, qui excerpta ex Heronis geometria continent, unus ceteris et vetustate et auctoritate praestantior[1]). In hoc est locus Ἀρχὴ τῶν γεωμετρουμένων, ubi de arte agros metiendi ab Aegyptiis inventa ea leguntur quae nos statim in conspectum producemus (§ 19). Atque haec quidem ab auctore mutati operis in brevius contracta sunt: copiosius autem eadem in eodem codice ad finem geometriae leguntur, qui locus nobis est tabula Heroniana prima: Ἡ πρώτη γεωμετρία, καθὼς ἡμᾶς ὁ παλαιὸς διδάσκει

1) Dico cod. Gr. 1670. Vide Martin. p. 120 et supra § 9 adn. 12.

λόγος et quae sequuntur. Iam haec tam pure et ad rem accomodate scripta sunt, ut originem eorum ab ipso Herone, minime a quoquam recentiore repetendam esse appareat. Quod si concesseris, etiam de mensurarum ratione nonnulla ab Herone scripta esse ex illa mensurarum tabula quae addita est efficitur. Etenim ab illa expositione de arte metiendi ab Aegyptiis inventa ad hanc mensurarum tabulam necessaria quaedam est orationis coniunctio et perpetuitas, quae ab initio in ipso Heronis opere fuerit necesse est. Sic igitur statuimus: mensurarum tabulam de qua agimus factam esse illam quidem posteriore aetate, sed eius loco aliam similem tabulam in Heronis libro de geometria fuisse, unde illa recentior quibusdam mutatis et additis transcripta sit. Quod autem ex uno codice Parisiensi nunc demonstravimus, idem fere ceterorum quoque qui Heronianae geometriae reliquias continent auctoritate confirmatur, quoniam in omnibus eodem fere modo fragmenta de mensuris perscripta inveniuntur.

Conclusio de fragmentis Heronianis.

12 Sed haec hactenus. Restat denique, ut eius disputationis in quam adhuc incubuimus conclusio quaedam fiat. Scripsisse igitur Heronem opus, quod Γεωμετρούμενα inscribebatur, compertum habemus. Eius duas partes fuisse suspicati sumus, quarum in altera in universum de arte geometrica praecepisse eiusque gravissima et axiomata et theoremata proposuisse, in altera problemata ad usum popularem accommodata et proposuisse et solvisse videtur. Maxime autem id egit, ut quaecunque ad artem agros metiendi, quam nos geodaesiam dicimus, pertinerent in eodem libro explicaret, quapropter etiam mensurarum tabulam interposuit [1]). Iam hic Heronis liber non solum in scholis

---

1) Exscribenda hic videntur quae Letronnius (*Rech.* p. 73 s.) extrema disputatione de Heronis geometria summatim proponit: *Cet ouvrage, maintenant perdu, était un traité complet de Géometrie pratique ou de Géodésie (suivant l'expression grecque), où la solution de tous les problèmes était rapportée aux mesures légales établies en Égypte au temps de l'auteur. Cet ouvrage était précédé d'un tableau de*

quae de geometricis institutionibus habebantur studiosis eius disciplinae tradi solebat, sed etiam ii qui artem gromaticam profitebantur Heronis auctoritatem sequebantur, nec minus publicae rationes quibus vectigalia agrorum possessoribus imponebantur ad eiusdem praecepta computatae esse videntur. Itaque cum tam multi ad res tam varias hoc libro usi sint, longiore annorum spatio nequaquam mirum est alios aliter, prout cuiusque usus ferebat, eum immutasse, cum vel in alium ordinem Heronis propositiones redigerent, vel verborum contextum circumciderent et contraherent vel, ubi ad rem accommodatum videretur, nonnulla adderent. In tabulis vero mensurarum mutandi et novandi tum exstitit necessitas, cum provincia Romanorum Aegyptus facta est. Qui tum novas mensuras Romanum pedem et passum et iugerum attulerunt atque ad haec Ptolemaicas mensuras accommodari iusserunt. Quod quemadmodum factum sit, infra in explicanda tabula prima (§ 18) videbimus: nunc hoc tantum commemoramus in illa ipsa tabula mensuras Ptolemaicas cum Romanis coniunctas exhiberi eamque ad primum secundumve post Chr. n. saeculum referendam esse videri. Porro posterioribus temporibus, cum in ipsis mensuris novaretur, etiam mensurarum tabulae saepius sunt immutatae, unde recentiores tabulae ortae sunt, quae cum omnes continuo quodam progressu ex eodem fonte derivatae essent, quamvis diversae ab Heronis opere mensurae proponerentur, nomen tamen Heronianarum retinuerunt. Quo quidem nomine nos quoque iure utemur, dummodo de origine et quasi fonte, non de ipso auctore intellegamus.

Alia fragmenta metrologica Heroni tributa.

Iam haec fragmenta etsi pro temporum ratione multum 13
inter se differunt, omnia congruunt in eo, quod nihil nisi mensuras, quas geometricas dicere licet, continent. Verum tamen cum tot et tam varia fragmenta de mensuris por-

---

ces mesures, d'après lesquelles étaient assises les contributions foncières, directes et indirectes, et suivi d'un tableau des mesures tombées en désuétude.

rectis Heroni tribuere consuevissent, quam facile fieri potuisse censemus, ut etiam alia fragmenta, quibus de mensuris cavis vel de ponderibus et nummis ageretur, ad Heroniana adscriberent? Et sane multa eius rei vestigia exstant. Nam et in codicibus Heronianis, quorum nos notitiam habemus, nonnulla de ponderibus et nummis excerpta inveniuntur, et docti quidam viri, qui duobus fere abhinc saeculis de mensuris et nummis scripserunt, e codicibus manu scriptis non solum ea fragmenta Heroniana, quae in vulgus nota sunt, sed etiam alia quaedam protulerunt quae postea paene ad oblivionem reduci coeperunt. Qua de re ne infra saepius et cum magna mora dicendum sit, hic locus esse videtur, ut quaecunque ad id argumentum pertinent in brevi conspectu ponantur.

Primum Ios. Scaliger in Dissertatione de re nummaria sub Heronis nomine passim illud fragmentum ab Alexandrino quodam homine scriptum affert quod Περὶ ταλάντων vel Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν ὀνομασίας inscribitur [1]). Idem aliquoties citatur a Salmasio in Refutatione utriusque elenchi Cercopetaviani, qui in pluribus libris manu scriptis id se invenisse dicit et ex his nonnulla emendatius edidit: pro Herone autem in quibusdam codicibus Africani nomen legi commemorat, qua de re posthac videbimus [2]). Ex alio fragmento inter Heronianas reliquias servato Salmasius in Confutatione animadversionum Antonii Cercoëtii — hic est alter liber in Petavium scriptus [3]) — complures locos affert, quos ad tractatum quendam Epiphanianum pertinere infra demonstrabimus [4]). Denique in opere illo ingentis studii et laboris, Plinianis exercitationibus in Solinum, idem plurima Heroniana de mensuris porrectis citat, quae quidem omnia e tabulis Heronianis

1) Vide proleg. § 99 et in contextu fragm. 95.
2) Confer infra § 47 et 99 adn. 2.
3) Et Confutatio et Refutatio ficto auctore Francisco Franco anno 1623, altera Midelburgi, altera Parisiis, prodierunt. Prius scriptam esse Confutationem e compluribus Refutationis locis satis apparet.
4) Vide proleg. § 90 adn. 3.

prima et quinta repetivit[5]). Post hunc Gronovius in libris de sestertiis passim Heroniana fragmenta de nummis et ponderibus attulit, nec tamen aliunde nisi a Scaligero et Salmasio mutuatus. Excipiunt hos Angli I. Greavesius, qui in commentatione de Romano pede et denario praeter locum breviorem e tabula Heroniana prima[6]) gravissimum illud fragmentum, Pollucis loco cognatum, exhibet de quo supra (§ 2) diximus; et Ed. Bernardus in libris de mensuris et ponderibus antiquis, ubi Hero, etsi verba eius non exscribuntur, tamen passim e libris manu scriptis citatur[7]). Denique Pauctonus e codicibus Parisinis pauca Heroniana affert, quae ad mensuras cubicas pertinent[8]).

Heronis fragmenta ad Didymi librum adscripta.

Haec igitur Heroniana a viris doctis e libris antiquis citata sunt. Restat ut aliam quaestionem aggrediamur, quae etsi specie diversa videtur, tamen hoc statim loco disceptanda est. Nonnulla enim et Heroniana et alia fragmenta 14

---

5) Pag. 242 b E affertur tabulae I § 15; p. 411 a F eiusdem tabulae § 20; p. 481 a D § 1 extrema et § 19; p. 481 b B § 9 et 10; p. 482 a D § 18; p. 712 a B § 12; p. 841 b D § 25; p. 851 b A § 10, ibidem sub D et E § 21. Porro p. 481 b B tabulae quintae § 12 extrema et § 13; p. 712 a B § 11, quae e codice Paris. 2013 petita esse videntur (v. adnot. crit. ad huius tabulae § 12); tum p. 481 a D, ubi alter Hero geodaetes qui acenae sedecim spithamas tribuat citatur, respici videtur tabulae VII § 11. [Quae p. 492 b D afferuntur, ea non ad mensuras pertinent.] — Denique etiam in notis ad historiae Augustae scriptores ab eodem citantur tabulae I § 3 (p. 405 a F) et § 9. 10 (p. 248 b C).

6) *Discourse* etc. (v. supra § 2 adn.) p. 187: ὁ δὲ Ἰταλικὸϲ ποὺϲ δακτύλουϲ ἔχει τρεῖϲ καὶ δέκα καὶ τρίτον, quae fere congruunt cum tabulae I § 10.

7) Ut alia quae mentione non digna sunt taceam, Bernardus p. 235 tabulae VII paragraphum 15 e tribus libris manu scriptis, atque haec praeterea ex Heronis codice Bembino affert: τὸ μίλιον ἔχει ϲτάδια Ζ'ϛ, πόδαϲ ͵δφ'· τὸ δὲ Ῥωμαϊκὸν μίλιον ἔχει πόδαϲ ͵ευ': quae conveniunt cum tabula Euclidea (fr. 14, 12).

8) *Métrologie* p. 266; vide infra § 38 adn. 1.

per errorem Didymo cuidam Alexandrino tribuerunt, cuius libellum de mensuris marmorum et lignorum e codice Ambrosiano non ita longo abhinc spatio edidit Ang. Maius[1]. Ibi a capite XIV prima et secunda tabula Heroniana, tum fragmentum Alexandrinum de talentis (95) et aliud de mensuris (81), deinde varia problemata stereometrica et geometrica leguntur. Haec autem minime Didymo tribui posse iam Maius, quamvis levissime tantum et quasi praeteriens eam quaestionem in praefatione attingeret, suspicatus est[2]. Lucem deinde attulit Martinus, qui Parisinis Didymi codicibus perlustratis reliquiisque Heronianis collatis, quae Didymea quaeque Heroniana essent, acutissime distinxit[3]. Qua de re ne ulla dubitatio relinqueretur, idem praeterea testimonio usus est codicis Monacensis[4], in quo cum alia tum fragmenta illa de mensuris praefixo Heronis nomine antecedunt Didymi eidem libello, neque quidquam praeterea quod Heronianum sit sequitur. Nullus igitur iam Hero-Didymus, quod ambiguum nomen, ut in re incerta finxit Boeckhius[5], nihil etiam ab ullo Didymo de mensuris cubicis aut talentis scriptum, nec quidquam praeter parvum illum libellum de marmorum et lignorum mensuris ad Didymum auctorem revocandum. Haec vero nostra sententia non Martini solum auctoritate nititur, sed ipsi et Monacensem codicem et e Parasinis unum[6] accurate inspeximus, atque apographum codicis Vossiani Lugdunensis in nostris

---

1) Iliadis fragmenta et picturae. Accedunt scholia vetera ad Odysseam. Item Didymi Alexandrini marmorum et lignorum mensurae. Edente Ang. Maio. Mediol. 1819. — Incipiunt p. 149 Διδύμου Ἀλεξανδρέως μέτρα μαρμάρων καὶ παντοίων ξύλων

2) P. 151: *Etsi vero hi codices et fortasse alii plures Didymo hoc opus vindicant, nihilo minus haud scio an id maioris operis, cuius parens laudatur Hero, pars quaedam aut excerptum dicendum sit.* Quod addit etiam fieri potuisse, ut ipse contra Hero ex antiquioribus Didymi scriptis multa sibi sumpserit, id minime probari potest.

3) P. 187—193.

4) Cod. Graec. n. 165.

5) *Metrol. Unters.* p. 95.

6) Cod. Paris. Graec. n. 2475.

manibus tenemus. Qua de re uberius disserendi alio loco erit occasio.

De tabula Heroniana prima.

Haec in universum de fragmentis Heronianis disputanda 15
fuerunt. Quibus tandem ad finem perductis iam bene instructi ad alteram huius quaestionis partem accedimus, qua de singulis tabulis ita disseremus, ut et omnes in his mensurarum rationes explicemus et, quam quaeque ad aetatem referenda videatur, quantum fieri possit, definiamus.

In vetustissimo e codicibus Parisinis qui Heronis geometriam continent (§ 11) non procul ab initio[1]) ea mensurarum tabula legitur quam nos quarto loco inter Heronianas posuimus. Verum in eodem libro post clausulam geometriae[2]) et alia quaedam geometrica et illa duo Heronis fragmenta[3]) reperiuntur quae nos tabula prima comprehendimus. Iam cum in fine huius tabulae legamus: Ἀλλὰ ταῦτα μὲν κατὰ τὴν παλαιὰν ἔκθεσιν· τὴν δὲ νῦν κρατοῦσαν δύναμιν ἐν τοῖς προοιμίοις τοῦ λόγου ὑπετάξαμεν, inde facili coniectura colligimus eos qui olim Heronis geometriam contraxerunt initio mutati operis omissa vetustiore mensurarum tabula, quae antea ibi scripta erat, eas mensuras in conspectu posuisse quae tum in usu essent, illam autem vetustiorem tabulam in appendicem operis reiecisse[4]). Unde factum est, ut praeter Letronnium omnes qui antea haec fragmenta ediderunt, cum eum ordinem quem in recentiore opere Heroniano invenissent mutare nollent, recentiorem tabulam primo, vetustiorem secundo loco ponerent. Nos tamen cum omnes eius generis reliquias e variis libris manu scriptis petitas colligeremus et quo tandem ordine eae in hoc libello exhibendae essent diu ambigeremus, postremo nullam aliam nisi temporum rationem

---

1) Cod. Gr. 1670 fol. 64^{b}; incipit autem Heronis geometria ibid. fol. 62^{a}. Haec omnia facilius tum perspici poterunt, cum Heronis geometria a me edita erit.

2) Fol. 129^{a}: Πεπλήρωται ἡ τῶν ἐπιπέδων κατὰ ἔκθεσιν Ἥρωνος μέτρησις. Vide Martin. p. 133.

3) Fol. 130^{b}—132^{a}. Conf. Martin. p. 133 s.

4) Letronn. p. 52, Martin. p. 204.

haberi posse intelleximus. Haec igitur tabula de qua agimus, ut aetate, ita etiam loco nobis est prima. Atque iisdem fere verbis eam in illa Heronianae geometriae editione qua primo secundove post Chr. n. saeculo vulgo uti solebant (§ 12) scriptam fuisse existimamus; pauca tamen a recentiore auctore eius geometriae quae in codicibus Parisinis exstat addita esse apparet, quae nos, ut quam integerrima vetustioris tabulae species praeberetur, in hac editione uncis inclusimus (§ 20).

De pede Philetaereo.

16 Iam in hac vetustiore tabula quaenam mensurae proponantur inquiramus. Graeca pleraque sunt nomina, occurrunt tamen etiam Aegyptiae mensurae, ξύλον, ἄμμα, σχοῖνος, nec desunt Romanae, pes Italicus et iugerum. Denique est pes quidam Φιλεταίρειος[1]), ad quem omnes reliquae mensurae definiuntur. Varia igitur mensurarum genera mixta et consociata esse videmus. Qua de re longo verborum circuitu dicendum esset magnaque nobis ad conclusionem properantibus mora afferretur, nisi ea quae ab aliis diligenter quaesita et enucleata atque a nobis alio loco retractata et comprobata sunt[2]) breviter hic repetere satis esset.

Aegyptiis antiquitus cubitus qui regius vocabatur in

---

1) De forma vocabuli Φιλεταίρειος (non Φιλεταίριος) vide praefationem criticam ad tab. Heron. I.

2) Pedem Italicum, qui in secunda tabula commemoratur, Romanum esse primus suspicatus est D'Anville (*Traité des mesures* p. 18); idem accuratius demonstravit atque inde mensuram Ptolemaici sive Philetaerei pedis definivit Hase (in Palaeologo p. 20 ss.). Denique acutissime de eodem argumento disputavit Letronne (*Recherches* p. 104—118). Hi quidem omnes eas mensuras Aegyptias aetatis Ptolemaicae esse recte contenderunt. Obstabat tamen Philetaerei pedis nomen, quod a Pergameno regno ductum esse egregie coniecit Boeckh (*Metrol. Unters.* p. 215 s.). Sed quomodo factum esse videatur, ut Asiaticae mensurae nomen in Aegyptum transferretur, nuper a nobis explanatum est in Fleckeiseni annalibus philologicis (*Jahrbücher für Philol. u. Paedag.* 1863 p. 162 ss.).

usu fuit, cuius exactam mensuram e vetustissimis illius gentis monumentis cognitam habemus[3]). Quae mensura etiamtum, cum Ptolemaei Aegypti regnum tenebant, et intacta mansit et regii cubiti (βασιλικοῦ πήχεως) nomen retinuit. Sed Graecorum consuetudine ei cubito addita est sua bessalis mensura, hoc est pes, quem Ptolemaicum a rege auctore dicere consueverunt. Quid vero? quomodo alterum nomen a Philetaero ductum in Heronianam tabulam irrepsit? Scilicet Aegyptio cubito par fuit ea mensura quae in Persarum regno legitima erat, unde βασιλήιος πῆχυς ab Herodoto nuncupatur[4]). Hunc cubitum et in aliis regni provinciis et per Asiam minorem usitatum fuisse satis constat. Iam cum Philetaerus regni Pergameni fundamenta iecisset, vel ipse vel, quod magis probabile videtur, successor eius Eumenes praeter regium cubitum, quem intactum reliquit, bessalis mensurae sive pedis legitimum usum esse voluit, qui pes inde Philetaereus dictus est. Quae omnia, etsi a nullo scriptore prodita sunt, certis tamen rationibus colligere licet. Fuerunt igitur pares et cubitales et pedales mensurae in Aegyptio atque in Pergameno regno: nec tamen Ptolemaeos suum pedem e Philetaeri regno petivisse aut Philetaereum potius quam Ptolemaicum appellasse credibile est. Verum id nomen Romani demum in Aegyptum transtulerunt. Utram enim, quaeso, mensuram illi prius cognoverunt, Pergamenam an Ptolemaicam? Quid? cum anno CXXXIII ante Chr. n. Attalus III regni sui heredem populum Romanum instituisset, nonne his agrorum Pergamenorum mensura cum pede et iugero Romano comparanda fuit? Quo facto necesse est haec eos et invenisse et legibus sanxisse: primum quinos pedes Philetaereos aequare senos Romanos, deinde bina plethra singula iugera efficere. Porro in continuatione huius quaestionis non omittendum videtur in Cyrenaica, quam anno XCVI Ptolemaeus Apion populo Romano testamento reliquerat, pedem vulgarem Graecorum quem nos Olympium dicere solemus

3) Vide nos in Metrol. p. 279 s., ubi eos qui uberius de ea re exposuerunt citavimus.
4) Ibid. p. 41. 274.

legitimum eique Ptolemaico nomen fuisse[5]). Denique cum non multo post etiam Aegyptus in provinciae formam redacta esset ibique eadem pedis mensura atque olim in Attali regno, sed diversa a Ptolemaico Cyrenensium pede, reperiretur, quo tandem alio nomine nisi Philetaerei pedem Aegyptium Romanos appellasse censemus? Tum igitur Romanis auctoribus Ptolemaica mensura Philetaereae nomen obtinuit, nec iam mirum est in tabulas Heronianas eam appellationem translatam esse. Nam primam tabulam, quam vetustissimam esse diximus, inveterata iam Romanorum potestate in Aegypto scriptam esse res ipsa declarat. Hinc etiam de Didymi aetate illius qui de mensuris marmorum et lignorum scripsit (§ 14) coniecturam facere licet. Is enim nec Philetaereum pedem novisse videtur, sed propria appellatione Ptolemaici usus est, nec Romanum pedem, ut in tabula Heroniana legitur, Ἰταλικόν, sed accuratius Ῥωμαϊκόν dicit. Ergo nec multo postea quam Aegyptus provincia facta est et ante auctorem Heronianae tabulae, initio primi post Chr. n. seculi, eum vixisse suspicamur. Nec tamen multo post vel primo saeculo vel initio secundi Philetaereum pedem in Heronianas tabulas illatum esse existimamus[6]). Hoc igitur tempore prima tabula scripta esse videtur, quam postea recentior quidam auctor appendicis loco ad geometriam Heronianam sua manu in novam formam redactam adscripsit.

De Aegyptiis mensuris.

17 Quae praeterea de mensuris primae tabulae dicenda sunt, ea quam brevissima expositione complectemur.

Tria ibi mensurarum genera reperiri supra diximus,

---

5) Hygin. de condic. agr. p. 123 ed. Lachmann.

6) Idem de aetate secundae tabulae Heronianae iudicant Boeckhius p. 10 et Martinus p. 204; nec vero opponi potest, quod vocabula σκουτλώσεις, στροφίολοι, κυμάτια, quae initio eius tabulae (§ 3) leguntur, posterioris Graecitatis sunt. Nam haec ab eo qui recentius Heronianum opus confecit addita sunt, cetera autem sine dubio ad secundum vel etiam primum post Chr. n. saeculum pertinent.

nam ad Aegyptias mensuras additas esse Graecas, ad has porro Romanas.

De Aegyptiorum mensuris fere nihil a veteribus scriptoribus traditum habemus. Nam praeter cubitum, cuius Herodotus mentionem facit, unum schoenum, maximam itinerum mensuram, et ille et alii quidam commemorant[1]). Verum in hac tabula Heroniana, si accurate quaerimus, nonnullas alias eius gentis mensuras indagare licet[2]). Primum ξύλον, quod trium esse cubitorum dicitur, etsi Graecum nomen est, Aegyptiorum esse apparet. Nusquam enim aut in Graecia aut apud Romanos talis mensura usitata fuit, quae quidem nec plethro nec stadio nec ulli praeterea Graecorum mensurae accomodata esset. Servatam igitur ex Aegyptiorum consuetudine hanc mensuram a Ptolemaeis et Graeco nomine in tabulas geometricas receptam esse existimamus. Huc accedit ἅμμα quadraginta cubitorum, cuius quae sit origo ipso nomine declaratur[3]). Quae utinam latiore disputatione persequi liceret. Sed haec quaestio, nisi ampliorem librum scripseris, ad finem nequit perduci; nunc autem cum aliud agamus, nihil nisi breviter propo-

---

1) De cubito vide Herod. 2, 168, de schoeno eundem 2, 6 et alios qui in nostra Metrologia p. 282 s. citantur.

2) Ex iis quae Queipo (*Essai sur les systèmes métriques* I p. 159 ss.) de his Aegyptiis mensuris disseruit nonnulla probanda, cetera aspernanda esse vidi. Nam de xylo quidem recte statuit (p. 159), verum et in aliis et in hoc maxime fallitur, quod μίλιον Heronianum mille *orgyiarum* et quartam partem *parasangae* fuisse opinatur (p. 160—163). Quae ut refutentur, hic non est locus: sed unum commemoro iniuria Heronem e Bernardi libro auctorem citari, nam nihil ille nisi locum quendam e septima tabula (supra § 13 adn. 7) affert; haec autem, cum multo posteriore tempore scripta sit, nihil nec ad primam Heronianam tabulam nec ad veteres Aegyptiorum mensuras pertinet.

3) Vocem ἅμμα Aegyptiam esse inde concludo, quod Graeca non est, nam ἅμμα, quod Lepsius p. 106 (v. infra adn. 6) suadet, repugnat librorum auctoritati. Quaecumque autem in hac tabula nec Graeca nec Romana sunt, ea Aegyptia esse quis negaverit? Et Hebraici *ammah* eadem est origo, significatio autem diversa, nam cubitum apud illos denotat. Similiter Graecum ἄκαινα et Baeticum *acnua* eiusdem originis esse videntur, sed hoc decemplicem illius modum significat.

nere possumus nostram sententiam, quae etsi argumentis et certa ratione a nobis non comprobata est, tamen speramus fore ut multis probabilis videatur. Haec autem statuimus: a cubito regio qui septem palmorum vel duodetriginta digitorum fuit omnes maiores mensuras derivatas esse, sed alia ratione in agris alia in itineribus metiendis usos esse. Etenim agrorum mensuras fuisse constat

orgyiam quattuor cubitorum,
amma quadraginta cub. vel decem orgyiarum[4]).

Ad quae num accesserit stadium quadringentorum cubitorum vel centum orgyiarum, in medio relinquimus. Nam etsi numerorum ratione egregie haec inter se congruunt, quoniam, ut amma decem orgyias, ita stadium decem ammata efficit; tamen nec satis certa eius rei vestigia extant, neque equidem persuadere mihi possum ab ulla unquam gente quadratum stadii modum factum esse — omnes autem agrorum mensuras quadratas esse necesse est.

Praeterea ne omittamus aliam agros metiendi rationem olim in usu fuisse, qua non orgyia, hoc est quadrupla cubiti mensura, sed ipse cubitus denaria ratione multiplicaretur. Nam ita factam esse aruram centenorum cubitorum Herodotus scribit[5]). Quae duo diversa mensurarum genera quibus vel locorum vel temporum discriminibus usitata fuerint, alienum est ab hoc loco inquirere[6]).

Denique in itineribus metiendis a cubito ductam esse arbitramur triplam eius mensuram, ξύλον, quo tantum spatii significasse videntur quantum duobus gradibus conficitur. Haec xyla in itineribus proinde atque Romani suos passus miliario numero computabant, quaterna autem milia schoenum efficiebant.

---

4) Gravissimum eius rei hoc est testimonium, quod in tabula V omnis agrorum mensura orgyia et funiculo denarum orgyiarum fieri dicitur. Hoc autem σχοινίον δεκαόργυιον ipsum antiquum amma esse apparet. Conf. infra § 25.

5) 2, 168. Vide Metrol. p. 284.

6) Hic egregie viam aperuit Lepsius extrema ea disputatione quae inscribitur *Ueber eine Hierogl. Inschr. am Tempel von Edfu* (*Abh. d. Berl. Akad. philos. hist. Kl.* 1855 p. 69 ss.). Quae ego alio loco accuratius persequar.

De reliquis primae tabulae mensuris.

Porro, ut saepius diximus, ad antiquum Aegyptiorum 18
cubitum a Ptolemaeis Graeca mensurarum ratio translata est. Hinc et minores cubito mensurae, δάκτυλος, παλαιστής, διχάς, σπιθαμή, πούς, πυγών, πῆχυς, et maiores, ὀργυιά, πλέθρον, στάδιον, δίαυλον, ortae sunt. Quae etsi verbis Graecae videntur, tamen ab his tanto diversae sunt, quanto cubitus Aegyptiorum vulgarem Graecorum cubitum superat [1]). Accedit ἄκαινα sive κάλαμος decem pedum, cuius mensurae originem e Graecia, non ex Aegypto, repetendam esse alio loco demonstravimus [2]).

Denique postquam Aegyptus in Romanorum potestatem redacta est; quomodo pes monetalis et iugerum, Romanorum mensurae, cum Ptolemaicis composita sint, iam supra significavimus (§ 16). Nam perinde atque antea in regno Pergameno, ita tum in Aegypto Romani hanc certam et legitimam rationem inter suas et Aegyptias mensuras intercedere voluerunt, ut quini pedes Ptolemaici senos monetales, sive quini cubiti regii novenos pedes Romanos aequarent [3]). Hinc in tabula Heroniana pes Italicus, hoc est Romanus, tredecim digitos cum triente, qui digiti sunt Philetaerei, habere dicitur, atque ubicunque praeterea Italici pedes cum Philetaereis comparantur, eadem valet ratio; hinc etiam πυγών, mensurae modus Graecis non ita usitatus, in tabulas Heronianas receptus esse videtur, quippe

1) Vide nos in Metrol. p. 283.

2) Est locus Apollonii Rhodii (3, 1323): ἐργατίνης ὥς τίς τε Πελασγίδι νύσσεν ἀκαίνῃ, ubi scholiasta adnotat: ἄκαινά ἐστι μέτρον δεκάπουν, Θεσσαλῶν εὕρεμα· ἢ ῥάβδος ποιμενικὴ παρὰ Πελασγοῖς ηὑρημένη. Hinc nos in Fleckeis. annal. (a. 1863 p. 169 s.) demonstravimus hac decempeda ab antiquissimis temporibus Graecos in agris metiendis usos esse, inepte vero in Etymol. M. tradi in Aegypto eam inventam esse. De forma ἄκενα, quae est recentioris consuetudinis, vide praef. crit. ad hanc tabulam. Vox κάλαμος, quam praeter acaenam auctor huius tabulae affert, etiam in inscriptionibus legi auctor est Passow in lexico Graeco.

3) Didym. de mens. 12 (in nostra collectione fragm. 3 § 4). Confer Hasium in Palaeol. p. 36, vel nos in Metrol. p. 281.

qui par esset Romano cubito[4]). Porro cum ex eadem ratione plethrum Ptolemaicum centum pedum non diversum esset ab actu Romanorum, qui centum et viginti est pedum, facile additum est iugerum, hoc est duorum plethrorum vel actuum mensura, qua Romani in omnibus publicis rationibus uti solebant. Postremo etiam in mensuris itinerum, quantum fieri potuit, similitudo et consensus quaesita. Nam Romano passui respondere volebant βῆμα, quod, perinde ac gradus sive dimidius passus, duorum pedum et semissis esset; sed cum hi pedes essent Philetaerei, βῆμα tres pedes Romanos aequabat (v. infra § 33). Magis etiam μίλιον Ptolemaicum a simili Romanorum mensura discrepabat. Etenim ex Aegyptiorum consuetudine mille ξύλα, non passus, miliariam mensuram effecisse vidimus (§ 17), unde factum est, ut illud μίλιον mille octingenta βήματα (non duo milia), sive quattuor milia quingentos pedes Philetaereos haberet, Romanorum igitur mille passus superaret pedibus quadringentis.

De introductione primae tabulae Heronianae.

19 Diximus adhuc de ipsis mensuris quae prima tabula Heroniana continentur. Verum in codicibus Heronianis praemissa est introductio quaedam de arte metiendi ab Aegyptiis inventa. Ac primum quidem, quae in codice Parisino vetustissimo (§ 11) scripta sint, videamus. Ibi, ut supra demonstravimus (§ 15), non procul ab initio recentior mensurarum tabula legitur, cui haec praemissa sunt:

Ἥρωνος ἀρχὴ τῶν γεωμετρουμένων.

Καθὼς ἡμᾶς ὁ παλαιὸς διδάσκει λόγος, οἱ πλεῖστοι τοῖς περὶ τὴν γῆν μέτροις καὶ διανομαῖς ἀπησχολοῦντο· ὅθεν καὶ γεωμετρία ἐκλήθη. ἡ δὲ τῆς μετρήσεως ἐπίνοια ηὕρηται παρ' Αἰγυπτίοις. διὰ γὰρ τὴν τοῦ Νείλου ἀνάβασιν πολλὰ χωρία φανερὰ ὄντα τῇ ἀναβάσει ἀφανῆ ἐγίνετο, πολλὰ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἀπό-

4) Ex hac ipsa mensura a Romanis Aegyptium quadrantal novaque artaba derivata sunt. V. infra § 39.

βαcιν[1])· καὶ οὐκέτι ἦν δυνατὸν ἕκαcτον διακρίνειν τὰ ἴδια. διὰ τοῦτο ἐπενόηcαν οἱ Αἰγύπτιοι τήνδε τὴν μέτρηcιν, ποτὲ μὲν τῷ καλουμένῳ cχοινίῳ, ποτὲ δὲ καλάμῳ, ποτὲ δὲ καὶ ἑτέροιc μέτροιc. ἀναγκαίαc τοίνυν τῆc μετρήcεωc οὔcηc εἰc πάντα ἄνθρωπον φιλομαθῆ περιῆλθεν ἡ χρεία[2]).

Eadem verba et in aliis libris Parisinis[3]) et in Vindobonensi[4]) reperiuntur. Sed haec est recentior et brevior eius loci forma, vetustior autem in illo codice Parisino una cum prima mensurarum tabula appendicis loco post geometriam Heronianam addita est (§ 15). Haec igitur forma in nostro fragmentorum contextu primo loco posita est, quae etsi non ipsam Heronis orationem exhibet, multo tamen propius quam illa recentior ad eam accedere videtur.

Adscribere hic placet similem locum ex Etymologico Magno, quem e fonte Heroniano derivatum esse apparet. Ibi vox ἄκαινα quae apud Apollonium Rhodium[5]) legitur sic explicatur: Νεῖλοc ὁ τῶν Αἰγυπτίων ποταμὸc ἀναβλύζων καὶ ἀνερχόμενοc διὰ τοῦ θέρουc τὰ ὅρια τῆc τῶν Αἰγυπτίων γῆc τῇ ὑγραcίᾳ λύων καὶ μιγνύων ἀπώλλυεν. ὕcτερον δὲ ῥάβδον λαβόντεc τὰc ἑαυτῶν γᾶc ἐγεωμέτρουν πρὸ τῆc ἀναβάcεωc τοῦ ποταμοῦ καὶ ἐcημειοῦντο· καὶ πάλιν μετὰ τὴν ἀπόβαcιν τοῦ ποταμοῦ τῇ αὐτῇ ῥάβδῳ ἐγεωμέτρουν, καὶ γεωμε-

---

1) Hic φανερὰ addendum videtur collata vetustiore eius fragmenti forma.

2) In nostra verborum scriptura quae discrepent a Parisino 1670, demonstrabo in Heronianis reliquiis. Martinus p. 436 s. de plerisque graviter errat.

3) Vide Martin. p. 436. Ipsi denuo contulimus Paris. 2013 fol. 99[a], eundem fol. 141[b], 2438 fol. 101[a], in quibus nihil ita discrepat a nostra scriptura, ut memoratu dignum sit [nisi forte quod εὕρηται habent pro ηὕρηται]. In aliis libris non ea verba quae supra leguntur, sed haec inscripta sunt: Ὅπωc εὕρηται ἡ ἐπίνοια τῆc μετρήcεωc.

4) Cod. philos. Gr. CLXXIX (Nessel) fol. 111[a]. Is in his discrepat a Parisinis: μὲν addit post Ἥρωνοc, τε omittit post μέτροιc, ἀπηcχολούντων habet pro ἀπηcχολοῦντο, ἐγίγνοντο pro ἐγίνετο, οὐκέτινων οὐ vitiose pro οὐκέτι ἦν, οὔcηc τῆc μετρήcεωc pro τῆc μετρ. οὔc.

5) Vide supra § 18 adn. 2.

τροῦντες ἕκαστος τὴν ἰδίαν γῆν ἀπελάμβανε δίχα μάχης καὶ φόνου. ἐκλήθη οὖν ἡ ῥάβδος [ἐν] ᾗ ἐγεωμέτρουν ἄκαινα, ἡ στερεοῦσα αὐτοὺς τοῦ καίνειν ἀλλήλους ὅ ἐστι φονεύειν. Ex his extrema perversa sunt, nam alia est vocis ἄκαινα origo[6]), sed de arte quidem metiendi qualis apud Aegyptios in usu esset recte auctor secutus est Heronem Alexandrinum.

In eadem tabula quaedam a recentiore manu addita.

20 Restat denique, ut de additamentis quae in prima tabula inveniuntur paucis dicamus. Nam cum omnino eius tabulae forma ac ratio ad saeculum primum vel secundum post Chr. n. pertineat, nonnulla tamen aetate multo recentiore addita esse apparet. Primum post verba εὐθυμετρικὸν μὲν οὖν ἐστι πᾶν τὸ κατὰ μῆκος μόνον μετρούμενον (§ 3) haec adiecta sunt: ὥσπερ ἐν ταῖς σκουτλώσεσιν οἱ στροφίολοι καὶ ἐν τοῖς ξυλικοῖς τὰ κυμάτια καὶ ὅσα πρὸς μῆκος μόνον μετρεῖται. In quibus explicandis auctorem sequimur Salmasium in notis in Vopiscum[1]), ubi allata quorundam et Graecorum et Latinorum vocabulorum similitudine σκουτλώσεις vocem e Latino sermone petitam vestium praetexturas (vel circumtexturas) significare docet. Στροφιόλους autem parva strophia h. e. fascias vel vittas quibus vestium extremitates praetexuntur interpretatur. Quid vero κυμάτια? Depingi res facilius potest quam verbis describi. Apud Vitruvium[2]) sunt ea quae tori vel spirae instar prominent in columnis; sunt vero etiam in opere ligneo taeniae quae per extremitates in longitudinem affigi solent[3]). — Porro ubi de cubiti mensura agitur (§ 12) sine

---

6) Vide nos eo loco quem § 18 adn. 2 citavimus.

1) Historiae Augustae scriptores VI rec. Claud. Salmasius (Paris 1620), tom. II (Salmasii notae) p. 405 a F — b B.

2) De archit. 3, 5, 7; 3, 5, 10; 4, 1, 7 al.

3) V. Hesych. s. v.: αἱ ὑπεροχαὶ παρὰ τέκτοσι καὶ λιθοποιοῖς. — Sic igitur vernaculo sermone locus interpretandus videtur: '*wie bei den Kleiderbesätzen die Fransen und bei dem Holzwerk die Leisten.*' Letronnius p. 51 locum sic interpretatus est: *comme quand il s'agit de mesurer des bandes de franges, ou des planchettes de bois*

dubio interpolata sunt verba: καλεῖται δὲ καὶ ξυλοπριστικὸς πῆχυς. Quae tum addita sunt, cum vulgaris cubitus duorum pedum erat, vetus autem mensura tantum in lapidibus et lignis metiendis servabatur (tab. V, 11). Deinde verba ἡ δὲ ἄκενα ἔχει πόδας Φιλεταιρείους ι' ἤτοι δακτύλους ρξ' (§ 19) suspitionem movent. Nam et aliena sunt ab hoc loco et antea (§ 16) eadem mensura iam explicata est. Quae quidem illic κάλαμος dicitur; sed alterum nomen ἄκαινα, si initium tabulae contuleris (§ 4), eodem loco, quo κάλαμος, olim scriptum fuisse facile tibi persuadebis. Denique extrema verba (§ 20): ἀλλὰ ταῦτα μὲν κατὰ τὴν παλαιὰν ἔκθεσιν· τὴν δὲ νῦν κρατοῦσαν δύναμιν ἐν τοῖς προοιμίοις τοῦ λόγου ὑπετάξαμεν ab illo qui recentiorem Heroniani operis editionem confecit addita esse ipsa res declarat.

De tabula Heroniana II.

21 Vetustissimam tabulam Heronianam de qua adhuc disseruimus in libris manu scriptis simile fragmentum sequitur uncia Romanorum mensura memorabile. In hoc primum quae congruant cum illa prima tabula, deinde quae ab ea differant, videamus. Eadem omnino sunt mensurarum nomina, eaedem mutuae earum rationes; sed omissa sunt et mensurae quas proprie Aegyptias diximus: ξύλον, ἅμμα, σχοῖνος (παρασάγγης), et nonnullae Graecae minus usitatae: διχάς, πυγών, δίαυλον. Pedis modum perinde atque in prima tabula Philetaereum esse ex acaenae definitione (§ 10) colligimus; unde etiam in fine pro corrupta scriptura στερεούς sine dubio Φιλεταιρείους est restituendum. Sed praeterea Romanum quoque pedem in eadem tabula latere certis rationibus evincitur. Nam et μίλιον (§ 14) quinque milia pedum habere dicitur, qui pedes sunt Romani, et iugerum (§ 12) ad eandem pedalem mensuram definitur, quapropter hoc loco τὸ Ἑλληνικόν, quod modo πλέθρῳ, Graecorum mensurae, recte appositum fuit, ad iugerum

---

Denique a Du-Cangio in Gloss. med. et inf. Graecit. σκούτλωσις explicatur: scutulatio, vestis praetextura, instita, ornatura in ima vestis parte.

autem nihil pertinet, uncis inclusimus. Denique etiam uncia sive duodecima pedis pars nisi ad Romani pedis mensuram recte referri non potest. Sic igitur concludimus: auctorem huius tabulae id egisse, ut et Romanas et Philetaereas mensuras sub uno conspectu poneret, sed in eo quam gravissime lapsum esse, quod nullo prorsus utriusque mensurae discrimine facto parem esse Philetaereo Romanum pedem existimaverit.

Praeterea auctor eius tabulae de quadratis et cubicis mensuris quaedam exponit: primum enim docet, quot digitorum quadrata sit uncia, deinde omnes mensurae a palmo ad cubitum quot uncias quotque digitos et quadrata et cubica ratione habeant[1]), postremo quae sit gradus, orgyiae, acaenae, agrestium mensurarum quadrata ratio.

De tabula Heroniana III.

22 Tertia tabula nihil nisi breviorem conspectum earum mensurarum exhibet quae prima tabula continentur. Ita autem auctor in enumerandis mensuris versatus est, ut posteriores quasque cum prioribus ex ordine compararet. Cubitum igitur primum pedali, deinceps palmorum et digitorum mensura expressit; βῆμα primum cum cubito, deinde rursus cum minoribus, orgyiam cum gradu et reliquis, cetera eodem ordine cum minoribus quibusque comparavit.

De tabula Heroniana IV.

23 Quarto loco posuimus gravissimam illam tabulam de iugeri divisione agrestibusque qui dicuntur pedibus, in qua quae mensurarum ratio tradatur cum per se admodum difficile sit intellectu, non parum nonnullorum locorum dubia scriptura auget obscuritatem. Quam cautissime igitur in tanta ambiguitate versemur necesse est. Fuerunt qui hoc

1) Cum a § 16 ad 18 παλαιστή, σπιθαμή, πούς et quadrata et cubica ratione explicentur, dubitari non potest, quin etiam cubiti quadrata mensura ab auctore tabulae definita sit. Unde initio paragraphi 19 haec addenda sunt: Ὁ τετράγωνος πῆχυς ἔχει οὐγγίας τκδ', δακτύλους φϛ'. Conf. tab. IV § 5.

fragmentum ad aetatem Byzantinam referrent. At vero tum bipedali cubito facto prorsus alia fuit agrestium mensurarum ratio (§ 24); in hac autem tabula eodem modo atque in prima et iugerum et reliquae mensurae definiuntur. Nam in illa antiquissima tabula iugerum habere dicitur

in longitudinem pedes CCXL Rom., CC Philetaereos,
in latitudinem pedes CXX Rom., C Philet.,

idem

in longitudinem XXIV decemp. Rom., XX acaenas Phil.,
in latitudinem XII decemp. Rom., X acaenas Phil.,

idem quadrata mensura

XXVIII DCCC ped. Rom., CC acaen. Phil.

Eaedem mensurae in hac quarta tabula comparent, etsi auctor in eo vel negligenter vel imperite versatus est, quod nullum nec Romanae nec Philetaereae mensurae discrimen fecit. Qui quod CC acaenas iugero tribuit, significat acaenas quadratas Philetaereas; quod vero statim postea iugerum XXIV acaenas longum esse dicit, has Romanas decempedas esse apparet. Iam ad maximam difficultatem pervenimus, quae e corrupta codicis scriptura oritur. Etenim longitudinis acaenis XXIV non, ut consentaneum est, XII latitudinis acaenae respondent, sed miro errore Δ in codice scriptum est. Iam hoc in promptu est dicere Δ vetustius denarii numeri signum esse[1]), ac facile, quod mihi quidem statim in mentem venit, superius κδ′ e ΔΔ (h. e. viginti) depravatum esse suspiceris. Sed tamen ne vanis indulgeamus coniecturis. Nam cum omnes reliqui numeri vulgaribus illis litterarum signis perscripti sint, qua tandem ratione fieri potuit, ut ex antiquiore consuetudine Δ huc irreperet. Immo id corruptum iudicemus necesse est. Ac proclive est dictu olim plenis litteris δέκα scriptum fuisse; quod si verum est, antea κδ′ mutandum est in κ′, quo facto, verba quae sequuntur διαιρεῖται δὲ εἰς κ′ μέρη optime congruere videntur. At vero aliam esse huius additamenti rationem statim demonstrabimus: ergo nec illud κδ′ mutandum est nec Δ in δέκα mutandum, quod quidni etiam e δώδεκα compendio scripturae ortum esse existimemus?

1) Vide Franzium in Element. epigr. Gr. p. 347.

Sic igitur statuimus: verbis μήκους γὰρ ἔχει ἀκαίνας κδ′ et πλάτους δὲ ἔχει δώδεκα ἀκαίνας Romanam decempedalem mensuram ab auctore tabulae significari. Verum idem, memor Philetaereae divisionis, ad priora verba addit: διαιρεῖται δὲ εἰς κ′ μέρη ἀνὰ ιβ′, quae quidem, si antea ἀκαίνας κ′ scriptum esset, prorsus abundarent. Exponere igitur voluit, prout Romanam vel Philetaeream mensuram sequereris, duplicem iugeri divisionem esse, nam ex altera ratione iugerum XXIV acaenas denorum pedum Romanorum, ex altera XX acaenas duodenum pedum habere: verum haec omnia, cum utriusque mensurae generis nomina nesciret, ita inter se confudit, ut, nisi prima tabula Heroniana servata esset, ne a nobis quidem possent explicari.

His expositis iam ad id transeamus quod in hoc fragmento omnium est maxime memorabile: novam dico mensuram, quae γεϊκοὶ πόδες vocatur. Quod vocabulum cum inauditum esset, primum ἐπιπέδων legendum esse suspicatus sum; sed id si scriberetur, et numerus qui sequitur mutandus esset et ipsum ἐπιπέδων, cum aliis locis nihil nisi ποδῶν legatur, abundare videretur. Immo vero reputantes, quam multa nova nec prius cognita in his tabulis occurrant, teneamus codicis scripturam. Iam horum γεϊκῶν ποδῶν, quos agrestes pedes latine vocare licet, duo milia et quadringenti iugerum efficere dicuntur; duodeni igitur singulas quadratas acaenas Philetaereas aequant. Atque haec quidem ipsa est uncialis Romanorum ratio. Quorum agri mensores Philetaeream mensuram interdum ita ad suam consuetudinem accommodasse videntur, ut quadratam acaenam Philetaeream, quae est ducentesima iugeri pars, assis instar ad uncias redigerent. Uncia ipsa autem Graece γεϊκὸς ποὺς appellata est. Quae illa aetate minutissima pars agrestium mensurarum fuisse videtur, qua minores in rationibus non computarentur.

Hoc igitur de duplici iugeri divisione proponendum videtur: aut Romana ratione iugero XXIV acaenas decempedales in longitudinem, XII in latitudinem, omnino pedum quadratorum $\overline{XXVIII}$ DCCC tributa esse, aut ad Philetaeream mensuram in CC acaenas quadratas, quae singulae duodenos pedes Romanos in longitudinem et latitudinem haberent,

iugerum divisum esse, ipsas autem quadratas acaenas in agri mensorum rationibus ad duodenas uncias vel γεϊκοὺς πόδας redactas esse.

Denique totum locum Latino sermone ita interpretemur, ut quae minus accurate ab auctore tabulae omissa sunt, ea suis quaeque locis adscribamus: 'Iugerum habet acaenas *quadratas Philetaereas* CC *et est* agrestium pedum MMCCCC. Nam in longitudinem habet acaenas *sive decempedas Romanas* XXIV, dividitur autem in XX partes (*h. e. acaenas Philetaereas*), quae singulae sunt duodenum *pedum Romanorum*, unde fiunt pedes *Romani* CCXL. In latitudinem autem habet XII acaenas *Romanas*, quae fiunt pedes CXX *Romani*. Sin longitudinem cum latitudine multiplicaveris, fiunt *ped. Rom.* XXVIII DCCC.'

Quae praeterea in quarta tabula leguntur, de his, quoniam plane cum prima tabula congruunt, nihil est addendum, nisi quod ex epithetis cubiti εὐθυμετρικὸς et λιθικὸς colligitur illo tempore tabulam in hanc formam redactam esse, quo bipedali cubito uti coeperunt.

In fine addita est cubicae pedis mensurae computatio similis illi quae in secunda tubula legitur. Ubi ἀγελαῖοι δάκτυλοι quid significent, cum probabilis ratio inveniri non possit, in medio relinquimus[2]).

De tabula Heroniana V.

Quae adhuc de Aegyptiis mensuris, quales sub imperio 24
Romanorum fuerint, e variis tabulis Heronianis cognovimus, ea omnia ad unum mensurarum genus pertinent Philetaereum, cubito sesquipedali notabile. Iam vero ad alterum genus accedimus, quo posteriore aetate uti coeperunt, cum bipedalis cubitus factus est. Quam in rem difficilli-

---

2) In re tam obscura si coniecturam facere licet, ἀγελαῖος novo dicendi usu cubicam mensuram significare suspicer. Nam altera suspitio, ἀγελαίους esse pedes universos sive summam pedum, minus etiam probabilis videtur. Sed vereor ne hic locus non minus quam ea quae in codice statim subiunguntur, corruptus sit, de quibus vide infra § 38 extr.

mam maximeque obscuram quam multifariam ego inquirere conatus sim et quotiens re frustra tentata aliam super aliam viam, qua e tenebris quasi ad lucem penetrare viderer, ingressus sim, dicere vix possum. Nam cum ante Letronnium nemo quidquam de eo argumento disseruisset, ipse autem vir ille sollertissimus, quamquam nonnulla recte explicuerat, plurima tamen intacta reliquisset, equidem denuo rem exquirendam esse statim intellexi, sed, ut dixi, qua ratione aenigmata quasi proposita solverem, diu mente et cogitatione laboravi: cum tandem collatis modii et medimni agrestibus mensuris certa ratione, non casu et fortuito, verum inveni. Verum omnes illas tentandi et quaerendi ambages exponere longum est, nec hic locus est, ut ea quam res postulat verborum copia omnia explicentur: sic igitur haec disputatio contrahenda videtur, ut enarrantis magis quam quaerentis et ambigentis orationem persequamur.

Ante omnia breviter summam eorum proponamus quae demonstraturi sumus: primum omnes quintae tabulae mensuras praeter cubitum et orgyiam Romanas esse; tum novum cubitum, qui binos Romanos pedes aequaret, parvo incremento addito ex antiquo Aegyptio cubito ortum esse; denique orgyiam quoque quae in hac tabula reperitur antiquam Aegyptiorum mensuram esse, sed modum eius levissimo momento ita deminutum esse, ut cπόριμοc μόδιοc, quae inde facta est agrestis mensura, tertiam iugeri partem plane aequaret.

De orgyia et satorio modio.

25 Iam in ipsa quaestione contrarium ordinem ei quem statim proposuimus sequi necesse est. De orgyia igitur quid statuamus? Primum nemini dubium esse censemus, quin haec quinta tabula cum prioribus Heronianis ita cognata sit, ut, etsi aetate diversae sint mensurae, tamen ad unam regionem omnes pertineant. Quae res tam manifesta est, ut demonstratione non egeat, quapropter multa et certissima argumenta quae in promptu habemus hic supersedemus afferre. Iam orgyia novem cπιθαμὰc βαcιλικὰc cum quadrante habere dicitur (§ 12), at vero non

suas — nam omnis orgyia sex suos pedes vel octo spithamas habet — sed alias spithamas diversi cuiusdam mensurarum generis. Has autem Romanas esse egregie Letronnius vidit[1]). Nam cum in prima tabula (I, 15) antiqua Aegyptiorum orgyia septem pedes Romanos quintamque pedis partem habere dicatur, huius orgyiae eadem quidem est mensura, sed levissimo discrimine imminuta, siquidem novem spithamae cum quadrante septem pedes Romanos ita aequant, ut unus tantum digitus desit. Verum hanc ipsam deminutionem qua ex causa ortam esse putamus? Quidni exactam septem pedum mensuram illa orgyia aequaverit? Hoc ut explanari possit, iam videndum est de agresti mensura quae ab orgyia derivata est.

Ex antiqua orgyia factam esse decemplicem mensuram, cui ἅμμα ex Aegyptiorum sermone nomen fuit, supra demonstratum est (§ 17). Pariter in hac quinta tabula (12) agri mensores σχοινίον sive σωκάριον δεκαόργυιον, h. e. funiculum mensorium X orgyiarum facere iubentur. Quinae autem orgyiae quadratae eam agri mensuram quae λίτρα vocatur, quadragenae λίτραι sive libellae σπόριμον μόδιον efficere dicuntur[2]). Omnino igitur ducenae orgyiae

1) *Recherches* p. 253 s. — Posteriore aetate βασιλέα praeter ceteros dici imperatorem Romanum, maxime orientis, in vulgus constat (v. Du-Cangium in Glossar. med. et inf. Graec. s. βασιλεύς). Βασιλικαί igitur spithamae sunt legitimae in publicis imperii rationibus. Legitimum autem fuisse etiam posteriore aetate antiquum pedem Romanum e Geodaesia Heronis Byzantini (prol. § 7) demonstravit Martinus p. 279 s.

2) Recte ab auctore quintae tabulae (§ 15) scriptum est: ὁ σπόριμος μόδιος ἔχει λίτρας τεσσαράκοντα· μία δὲ ἑκάστη λίτρα σπείρει γῆν ὀργυιῶν πέντε, h. e. quinque orgyiarum quadratarum. Quod vero aut idem aut alius addidit (§ 16): Πλάτος καὶ μῆκος ὀργυιῶν πέντε ποιοῦσι λίτραν μίαν, tum Πλ. καὶ μῆκ. ὀργ. ι′ ποιοῦσι λίτρ. β′, in his latet gravissimus error. Nam si quinae orgyiae quadrata ratione (h. e. in longitudinem et latitudinem) unam libellam efficerent, decem orgyiae eadem ratione efficerent quattuor, non duas libellas. Idem error in reliquam orgyiarum et libellarum computationem propagatus est. Fortasse etiam auctor eius loci vel scripsit vel scribere voluit: Πλάτους καὶ μήκους ὀργυιαὶ πέντε. ποιοῦσι λίτραν μίαν pro ἐπίπεδοι vel ἐμβαδικαὶ ὀργυιαὶ etc.

quadratae illum modium quem e Graeci vocabuli similitudine **satorium** appellare placet complebant. Iam vero recordemur etiam antiquum amma agrestem mensuram fuisse, quae denas orgyias in longitudinem et latitudinem, omnino igitur centum quadratas orgyias haberet. Modius igitur ducentarum orgyiarum nihil nisi duplex est amma. Quae si reputamus, cuinam latere potest iugeri similitudine Romanos hanc mensuram effecisse, quae duplo longior esset quam latior. Atque aptissime quidem quartam tabulam conferre licet, ubi iugero decem acaenae in latitudinem, viginti in longitudinem, omnino ducentae acaenae quadratae tribuuntur (prol. § 23). Quot igitur **acaenas** in longitudinem et latitudinem iugerum habebat, tot **orgyiae** fuerunt modii satorii, quem quodammodo iugerum orgyiae dicere licet.

Sed tamen unum nondum explicuimus, quomodo evenerit, ut orgyia, quae paullo maior septem pedibus Romanis esse debebat, iisdem uno digito minor fieret. Nimirum modium satorium qui ex hac orgyia factus est Romani quam exactissima ratione **tertiam** iugeri partem esse voluerunt; ipsius igitur orgyiae modum adeo deminuerunt, ut ista exacta quam dixi ratio valeret[3]). Sed quaeramus, quantum frumenti in modio satorio sevisse videantur. In iugero fere unum medimnum tritici, quae Graecorum mensura sex Romanos modios aequat, agricolas serere solitos esse satis constat[4]): apparet igitur satorium modium, quo-

---

3) Primum ita calculos ponamus, ut antiquam Aegyptiorum orgyiam subiiciamus, quae cum pedes Rom. $7^1/_5$ aequet, quadrata orgyia efficit pedes quadratos $51^{21}/_{25}$, modius satorius ped. quadr. 10368; tres igitur modii, qui sunt pedum fere 31000, longe superant iugerum Romanum, quod est pedum 28800. Iam vero ex ea orgyia quae est in quinta tabula rationem subducamus. Tum quadrata orgyia habet ped. quadr. $48^{33}/_{256}$. Hic omittenda est e veterum consuetudine excurrentis numeri minutissima particula. Modius igitur habet ped. 9600, et tres modii ipsum iugerum faciunt.

4) Cic. in Verr. act. II 3, 47: *in iugero Leontini agri medimnum fere tritici seritur perpetua atque aequabili satione.* De iugero Cyrenensium vide nostram Metrol. p. 286.

niam tertia pars iugeri fuit, binos tritici modios in se recepisse. Iam hoc unum peto ut mihi concedatur, cum illa agrestis mensura modii nomen acceperit, habuisse eam suum modium frumenti, vel, ne per ambages loquar, fuisse quendam frumenti modium talem, qualis illi satorio modio conveniret. Colligimus igitur tum in Aegypto frumenti quandam mensuram in usu fuisse quae binos Romanos modios aequaret: quae quidem mensura num cognata sit castrensi modio, cuius idem fuit modus, equidem ne coniectura quidem diiudicare ausim[5]).

Denique restat, ut de quadragenaria modii satorii divisione dicamus. Docet Plinius Alexandrini frumenti modium pependisse vicenas libras cum dextante[6]). Qua ex ratione mensurae modii satorii conveniunt frumenti pondo XL cum XX unciis. Iam in promptu est dicere Romanos abiectis unciis quae excurrebant ipsas quadraginta libras tribuisse modio Aegyptio. Verum et maius est vinginti unciarum pondus, quam ut temere in ponderando frumento neglegi potuerit, et illae λίτραι quae in tabula Heroniana commemorantur non tam ad pondus quam ad agrorum dimensiones spectant. Omnino autem certa et exacta mensura agri definiri nequit e pondere frumenti quod in agro seratur.

---

5) De castrensi modio confer Eisenschmid. et Mommsen. citatos in Metrol. p. 94 adn. 25. Addo locum Absyrti Hippiatr. lib. II cap. 129, a Du-Cangio allatum: δίδου ἡμιμόδιον καστρίσιον ἑσπέρας καὶ ἡμιμόδιον ἕωθεν, ἵνα καθ' ἡμέραν μόδιον καστρίσιον ἐσθίει τὸ κτῆνος (equus). Polybii aetate (6, 39, 13) equiti ad equi victum menstruum praebebantur 8 modii tritici et 42 modii hordei, omnino igitur 50 modii, unde fiunt in singulos dies modii $1^2/_3$, qui non plane explent modium castrensem ab Absyrto commemoratum. Verum memineris in Polybiano numero inesse sextam partem tritici, quod gravius, ut ita dicam, est alimentum hordeo. Facile igitur mihi persuadeo, si nihil nisi hordeum equo praeberetur, binos modios in singulos dies computatos esse, hosque ipsos esse modios castrenses.

6) N. h. 18 § 66: *levissimum* (frumentum) *est Gallicum atque e Chersoneso advectum, quippe non excedunt modii vicenas libras, si qui granum ipsum ponderet. Sardum adicit selibras, Alexandrinum et trientis.* Exactam esse hanc rationem demonstrat Queipo I p. 220 s.

Aliam igitur caussam circumspicientibus, qua adducti Romani et quadraginta partes modii satorii fecerint et eas ipsas λίτρας appellaverint, gravissimus auctor occurrit Volusius Maecianus[7]). Nimirum λίτραι Latino sermone sunt libellae, quibus in argentariis rationibus utebantur. Erat autem libella aut denarii decima pars aut sestertii: ergo sestertiaria ratione libella dici potest denarii pars quadragesima. Iam vero haec argentaria ratio ad alias quascunque res interdum ita transferebatur, ut as sive solidum computaretur pro denario, partes autem eius fierent et denariae et vicenariae et quadragenariae. Ita existimo Romanos, cum pondus modii Aegyptii quadraginta fere librarum esse scirent, argentaria ratione ad agrestem mensuram translata modii satorii fecisse partes quadraginta easque libellas, Graecos autem λίτρας appellavisse.

Neque hoc omittendum videtur, libellae quintam partem, orgyiam quadratam, tantum non parem fuisse dimidio scripulo, minimae iugeri parti[8]). Omnino igitur tota modii satorii et mensura et descriptio aptissima fuit ad Romanam consuetudinem, qua de re postea pauca addemus (§ 27).

De cubito bipedali.

26 Altera huius quaestionis pars, quae est de bipedali cubito, cum de orgyia satis exploratum sit, iam facilius potest absolvi. Nam et Romanum fuisse pedem qui duplicatus cubitum efficeret, et ipsum cubitum ad Aegyptum terram pertinere certum est. Iam ex antiqua ratione quini cubiti Philetaerei novenos aequabant pedes Romanos (§ 18), unde in computando molestissimae oriebantur ambages et difficultates. Cum igitur in Aegypto Romanorum mensuris magis magisque principatus quasi concederetur, factum est, ut antiquus cubitus Ptolemaicus sive Philetaereus levissimo

7) Distrib. part. § 65. 74. Conf. Mommsen. *G. R. M.* p. 200. Sed explicatius de his disserendi locus erit, cum in altera huius libri parte ad Maecianum pervenerimus.

8) V. nos in Metrol. p. 68 adn. 2. Dimidium scripulum habet ped. quadr. 50, orgyia quadrata ped. 48.

incremento addito produceretur ad duorum pedum Romanorum modum. Quae mensura quam commoda maxime ad agri mensorum rationes fuerit, non est quod dicam[1]). Hunc igitur habes bipedalem cubitum ex antiquo cubito Aegyptio atque in ipsa Aegypto ortum. Quod nostrum inventum quanti momenti sit, omnes, puto, qui ad has res studia contulerunt agnoscent. Nam cum nuper incerta coniectura Constantinopoli bipedalem cubitum inventum esse Letronnius aliique statuissent[2]), nec, qua de causa inventus esset, quidquam constaret: iam et qua ex antiqua mensura et qua in terra atque etiam quibus ex causis bipedalis mensura facta sit, compertum habemus. De tempore autem non minus quam de reliquis dissentio. Nam cum Letronnius ad Theodosii aetatem, Fennebergius etiam ad decimum saeculum bipedalis cubiti originem retulerit[3]), mihi quidem illam quam dixi argentariam rationem, etsi ab antiquissima aetate ad secundum p. Chr. n. saeculum propagatam esse constat, tamen longo inde temporis spatio servatam esse minime probabile videtur. Certe non ultra Constantini aetatem, qui novum aureum nummum novamque pecuniae computandae rationem fecit, illam argentariam rationem in usu fuisse meo me iure affirmare existimo. Ergo non post tertium saeculum ea agrestium mensurarum ratio quae est in quinta tabula instituta esse potest. Unde necessario alterum efficitur, iam tertio saeculo in Aegypto provinciales

---

1) Recte Letronnius p. 265 paucis exponit, bipedalis ratio quanto aptior quam sesquipedalis ad iugeri descriptionem fuerit. Nam scripulum habet bipedales cubitos quadr. 25, sesquipedales Romanos $44\frac{4}{9}$, antiquos Aegyptios $30\frac{70}{81}$.

2) Quod Letronnius p. 266 e loco quodam Ioa. Pediasimi, scriptoris Byzantini, qui XIV saeculo vixit, demonstravit bipedalem cubitum illa aetate Constantinopoli usitatum fuisse (v. infra § 37), nemo certe obloquetur; minime autem inde concludere licuit eadem in urbe ortum atque inventum esse hunc cubitum. Letronii sententiam amplexi sunt Martinus p. 206 et Fennebergius p. 47.

3) Letronnius p. 267—271 de Theodosii aetate non improbabiliter suspicatus est; at quae Fennebergius (*Untersuchungen* etc.) p. 47 statuit ea miram coniectandi artem produnt.

bipedali cubito uti coepisse. Atque hinc quidem ea consuetudo etiam Constantinopolim pervenit ibique ad quartum decimum usque saeculum propagata est. Quamquam praeterea genuinum Romanum cubitum qui est sesquipedalis suum locum tenuisse constat.

De mensuris quintae tabulae conclusio.

27 Sed redeamus ad ipsam quintam tabulam. Vidimus antiquas Aegyptiorum mensuras cubitum et orgyiam ita immutatas esse, ut commoda ratione cum Romanis mensuris convenirent. Unde hoc etiam pro certo cognovimus et pedem et βασιλικὴν σπιθαμήν Romanas mensuras esse. Ergo et minores pede mensurae quae in eadem tabula afferuntur et ἁπλοῦν ac διπλοῦν βῆμα, h. e. gradus et passus, Romanorum sunt. Hanc igitur proponimus nostrae argumentationis summam. Postquam Aegypto in Romanorum potestatem redacta mensuris Ptolemaicis sive Philetaereis Romanorum pes et iugerum addita sunt (§ 18), longiore temporis spatio utroque mensurae genere ita uti consuerunt, ut et provinciales et Romani suas utrique rationes tenerent, nec vero hi illorum mensuras tollerent. Sed tamen annis circumactis magis magisque Romanorum consuetudo illas provinciales mensuras ex usu hominum tamquam removerat. Iam tertio fere saeculo publice edictum est, ut et minores mensurae ad pedem omnes et gradus et passus Romana essent, cubitus autem antiquus Ptolemaicus, qui paullo minor fuit binis pedibus Romanis, ad ipsum bipedalem modum augeretur, denique orgyia, quae olim paullo maior fuit septenis pedibus Romanis, iisdem uno digito minor, et ducentae orgyiae quadratae tertia pars iugeri essent.

Adiungenda sunt pauca de aliis quibusdam mensuris quae in hac tabula reperiuntur. Primum in antiquissimo libro manu scripto[1]) additus est κόνδυλος, duorum digitorum mensura, de qua alio loco explicuimus[2]). Tum λιχάς, quae vox in libris corrupta reperitur, nostra coniectura

1) V. praef. crit. ad hanc tabulam.
2) Metrol. p. 33.

collato Pollucis loco restituta est. Eadem miro nomine κυνόςτομον appellatur. Et palmus sive παλαιςτής etiam γρόνθος, h. e. pugnus, nuncupatur. Denique unde nova ἀντιχείρου vel trium digitorum mensura orta sit, proclive est dictu. Nam cum orgyia septem pedibus Romanis vel duodetriginta palmis uno digito minor esset, institutum est, ut, si quis ad manum suam orgyiam faceret, semel pro palmo pollicem porrectum, qui est trium digitorum, apponeret. Haec enim est sententia verborum (§ 12): τοῦτ' ἔςτι τοὺς μὲν εἴκοςι ἓξ (παλαιςτὰς) ἐςφιγμένης οὔςης τῆς χειρός, τὸν δὲ τελευταῖον ἢ πρῶτον ἡπλωμένου καὶ τοῦ μεγάλου δακτύλου τῆς χειρός.

Praeter bipedalem cubitum vetustioris cubiti, qui sesquipedalis fuit, non prorsus oblitterata est memoria, quippe quo in lapidibus et lignis metiendis etiamtum uti solerent, unde λιθικός vel ξυλοπριςτικός dictus est (§ 11). Etsi enim vox ξυλοπριςτικός in ipsa tabula non legitur, exstat tamen in illo primae tabulae additamento (§ 12, prol. § 20). Est autem, ut significavi, haec ipsa antiqui Ptolemaici cubiti mensura, non Romani, ut Letronnio visum est[3]).

Taceo cum de aliis quae de arte metiendi in eadem tabula (12—14) praecipiuntur tum de funiculo duodecim orgyiarum, quo qua de causa praeter iustum ςωκάριον δεκαόργυιον uti consueverint, satis perspicue ab ipso tabulae auctore explanatur.

Denique cum omnes has mensuras nemo adhuc cum nostris comparaverit, tabulam earum apponendam esse iudicavimus. Duximus autem rationem ab eo pedis Romani modo quem tertio saeculo legitimum fuisse constat[4]). Aequant igitur, si cum Francogallorum mensuris comparantur,

δάκτυλος	0,0184	metr.
κόνδυλος	0,0368	—
ἀντίχειρον (τέταρτον ςπιθαμῆς) .	0,0551	—
παλαιςτής (τέταρτον, γρόνθος) .	0,0736	—

3) *Rech.* p. 264 s.

4) V. nostram Metrol. p. 75 adn. 12. Quae ibi Rapero auctore pedis posterioris mensura proposita est, ea aequat metr. Francog. 0,29422.

De tabula VII Heroniana.

30 Iam accedimus ad illam tabulam, quae et a prioribus omnibus prorsus diversa est nec omnino in tota antiquarum mensurarum ratione simile sui quidquam habet. Quae quo facilius explicari possit, primum conspectus quidam omnium mensurarum quae ibi afferuntur proponendus esse videtur (vide p. 49).

Quem conspectum si oculis perlustraveris et cum prioribus mensuris contuleris, profecto miram quandam mensurarum colluviem ac multo etiam notabiliores earum rationes deprehendes. Qua in re ne frustra fluctues et labores, hoc primum commemoro gravissimi erroris convinci huius tabulae auctorem. Nam quod plethro centum acaenas, iugero ducentas tribuit, id recte ille quidem e vetustiore aliqua tabula repetivit, at vero idem, cum eas quadratas acaenas esse nesciret, ceteras et plethri et iugeri rationes imperitissime ita subduxit, quasi porrectae acaenae essent. Nam si plethron C porrectas acaenas haberet, idem sane esset CC πάccων: at vero C quadratas acaenas habet et πάccα quadrata CCCC (non CC). Perquam vero absurde hic error propagatus est ad stadii mensuram. Nam cum auctor tabulae e falsa sua ratione MCC pedes plethro tribuisset, stadium autem DC pedum esse sciret, mirum quid inepti commentus stadium dimidiam plethri partem esse finxit. Quod si animadvertisset Letronnius, non variis modis frustra tabulae scripturam tentavisset[1]). Denique idem error in miliarii definitione redit, quod cum stadiorum septem et semissis esse recte dicatur, falso adiunguntur plethra tria et dodrans.

In his cum nullum iudicium inesse demonstraverimus, iam cetera quae insolita in hac tabula reperiuntur non vacare suspitione videntur. Certe βῆμα, quod cubito par sit, nihil est. Praeterea quam mira haec sunt, et orgyiam

1) Pro πλέθρου ꞩ (§ 14) Letronnius (p. 61) scribit πλέθρα ε′; idem pro πλέθρα γ′ ꞩ δ″ (§ 15) coniicit πλέθρα λζ′ ꞩ (p. 61 adn. 4). Conf. tamen eundem p. 256 ss., ubi erratum esse ab auctore tabulae et nonnullas mensuras e tabula eiiciendas esse recte statuit.

	δάκτυλοϲ	παλαιϲτή	ϲπιθαμή	πούϲ	πῆχυϲ	βῆμα	ὀργυιά	ἄμπελοϲ	πάϲϲον	ἄκαινα	πλέθρον	ϲτάδιον
παλαιϲτή	4											
ϲπιθαμή	12	3										
πούϲ	16	4	1⅓									
πῆχυϲ	32	[8]*	2⅔	2								
βῆμα	[32]*	[8]*	2⅔	2	1							
ὀργυιά	72	[18]*	6	4½	2¼	2¼						
ἄμπελοϲ	80	20	6⅔	5	[2½]*	2½	1⅑					
πάϲ	96	24	8	6	3	3	1⅓	1⅕				
ἄκαινα	192	48	16	12	6	6	2⅔	2⅖	2			
πλέθρον	19200	4800	1600	1200	600	600	266⅔	240	200	100		
ἰούγερον	38400	9600	3200	2400	1200	1200	533⅓	480	400	200	2	
ϲτάδιον	9600	2400	800	600	300	300	133⅓	120	100	50	½	
μίλιον	72000	18000	6000	4500	2250	2250	1000	900	750	375	3¾	7½

*) Numeri sic notati ab auctore tabulae omissi sunt.

pro pedibus spithamas sex habere, et ἄμπελον vocari qui Romanis est passus, et πάссον, vocabulum e Latino passu derivatum, eam mensuram quae olim orgyia fuit significare. Haec profecto nec Graeca nec Romana sunt, et quacunque in terra ea in usu fuerunt, quam maxime abhorrent a reliquis veterum mensuris. Verum etsi haec satis explicare non possumus, caveamus tamen, ne omnia reiiciamus et aspernemur. Nam etsi ea tabulae forma quam in libris legimus ab imperito homine est confecta, tamen illum bonis auctoribus usum esse veri simile est. Neve omittamus illas mensuras non solum ad geometriam, sed etiam ad census aestimationem, quae ἀπογραφὴ τοῦ κίνсου dicitur (§ 16), pertinuisse. Qua de re cum egregie exponat Letronnius[2]), nos nihil habemus quod addatur. Nec tamen, quoniam incerta atque ambigua vestigia nolumus persequi, amplius in mensuras huius tabulae inquirimus, aliis, siquid certius inventuri sint, rem commendantes.

De tabula VIII Heroniana.

31 Exstat in codice Parisino qui varia Heroniana continet Isaaci cuiusdam monachi libellus geometricus, qui inscribitur Ἰсαὰκ μοναχοῦ τοῦ Ἀργυροῦ πῶс ἂν τὰ μὴ ὀρθὰ τῶν τριγώνων εἰс ὀρθὰ μεταποιήсαιμεν καὶ περί τινων ἄλλων сχημάτων[1]). Ibi perinde atque in Heronis geometria inter problemata geometrica interiecta est tabula quaedam de mensuris[2]), quam nos in hac nostra collectione octavo loco posuimus. Iam haec tabula prorsus congruit cum Heroniana septima, unde eam repetitam et in brevius contractam esse apparet. Atque ab initio usque ad acaenae definitionem nihil differt. Tum autem in codice haec le-

---

2) P. 63 adn. 1.

1) Cod. Gr. 2013 fol. 151ᵇ. Continuatur contextus foliis 152. 153. 154. Tum interiecta sunt folia tria quae et alia manu et de diverso argumento scripta sunt. Porro folio 158 eadem manus quae Isaacum scripsit ex Epiphanio nonnulla collegit, quae nos infra exhibebimus (fr. 83. 84, conf. praef. crit.). Denique folio 159 Isaaci libellus continuatur et concluditur.

2) Fol. 154ᵇ.

guntur: τὸ πλέθρον ἄκαινας ρ′ πασά Γ′ (hoc Γ′ primum omissum, postea supra scriptum est) οὐργυιάς cξς ῶ″ βήματα τριάκοντα. Ex his Letronnius effecit: Τὸ πλέθρον ἄκαινας ι′, πασσὰ κ′, ὀργυιὰς κς′ 𐅵 ς″, βήματα ἑξήκοντα, quae minime possunt probari. Nam etsi ρ in codice parum perspicue scriptum est, tamen eius litterae ductus satis dilucide ab ι distinguitur. Tum orgyiarum numerus levissimo discrimine mutandus est in cξς′ ω″. Γ′ autem suprascriptum ex C′ corruptum esse apparet. Denique qui librarius τριάκοντα scripsit, λ sibi legere visus est in archetypo, cum χ scriptum esset. Iam igitur sic habes locum sanum atque emendatum: Τὸ πλέθρον ἀκαίνας ρ′, πάσσα c′, ὀργυιὰς cξς ω″, βήματα χ′, quae prorsus congruunt cum tabula septima. Nec vero in iis quae de iugeri, stadii, miliarii mensura addita sunt quidquam ab illa tabula differt.

De fragmento septimae tabulae subiuncto.

Nolui omittere brevius fragmentum quod in duobus 32
libris Parisinis septimae tabulae subiunctum est. Quod quamquam nihil nisi quadratas et cubicas palmi, pedis, cubiti rationes exhibet, tamen eo ipso memorabile est, quod abolita vetustiore sesquipedali mensura bipedalem cubitum etiam his mathematicorum rationibus subiectum esse reperimus.

De tabula Euclidi tributa.

Legitur inter Heronianas reliquias etiam tabula quae- 33
dam Εὐκλείδου εὐθυμετρικά inscripta, quae proxime accedit ad Heronianam secundam (prol. § 21). Nam et uncia hic exstat et paene omnes mensurae eundem in modum definiuntur. Miliarium autem iure $\overline{\text{IV}}$D ped. habere dicitur, quippe qui sint Philetaerei. Nec tamen recte haec addita sunt: τὸ δὲ Ῥωμαϊκὸν μίλιον ἔχει πόδας ͵ευ′, nam tot pedes Romani Aegyptio miliario conveniunt, Romanorum autem miliarium V milia pedum habet. In his igitur etsi auctor tabulae errorem commisit, tamen omnino mensurarum ratio Philetaerea valet. Quid vero de gradu statua-

mus, cui praeter exspectationem duo cubiti sive tres pedes tribuuntur? Nimirum haec ad Romanam mensuram redacta sunt. Nam cum βῆμα Philetaereum suos pedes habeat IIS (§ 18), V autem pedes Philetaerei efficiant sex Romanos, sequitur ut idem βῆμα Romanos pedes habeat III sive cubitos II. Omnino igitur Philetaereae mensurae in hac tabula reperiuntur, praeterquam quod βῆμα ad Romanos pedes et cubitos redigitur. Quod factum esse videtur Hebraicarum mensurarum similitudine, de quibus vide tabulam Iuliani Ascalonitae (fr. 16, prol. § 35). Denique hoc luce clarius apparet non ab Euclide hanc tabulam scriptam esse, quae et loco et re artissime cum Heronianis vetustissimis coniuncta ad eandem fere aetatem atque illae referenda esse videatur. Sed tamen, ut breviter eam tabulam appellare liceat, Euclideae nomen teneamus.

De fragmento Περὶ πηλικότητος μέτρων.

34 Fragmentum Περὶ πηλικότητος μέτρων priusquam explicemus, id nequaquam ad Epiphanium auctorem referendum esse commemoramus. Nam cum ex editione Le Moynii (v. praef. crit.) veri simile videretur hanc quoque tabulam ex Epiphanii libro περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, qui integer non exstat (§ 87), repetitam esse, postea vidimus nec ex inscriptione fragmenti neque ex loco, quo id in codice Antonii Eparchi scriptum reperitur, quidquam eiusmodi coniici posse. Maxime autem et orationis color, qualis est in hac tabula, et universa argumenti tractandi ratio longe distat ab Epiphaniani operis contextu. Quapropter, ut in re incerta, auctorem fragmenti ne anquiramus: ea autem quae in ipso fragmento leguntur quam accuratissime expendamus.

Initium autem explicandi faciendum esse videtur a miliarii mensura, quae s e p t e m stadiorum esse dicitur. Omnino videmus auctorem tabulae, qui aetate Byzantina post saeculum V scripsit[1]), fuisse et hominem non indoctum, qui multa de mensuris a vetustioribus scripta legisset et

---

1) Paeanius, Eutropii interpres, qui in hac tabula (§ 12) citatur, vixit saeculo V exeunte.

bene versatum in ea mensurarum ratione quae sua aetate valeret. Μίλιον igitur quod dicit Romanorum miliarium significari necesse est, quod imperatores Byzantinos non magis quam reliquas Romanorum mensuras immutavisse constat. Iam vero quale est stadium, quod septies multiplicatum Romanorum miliarium efficiat? Ad haec quid respondeamus, dubitari nequit. Nimirum est Philetaerei sive Asiatici pedis stadium. Sed statim, ne quis haec legens in errorem inducatur, unum monendum est. Scripsimus adhuc de tabulis Heronianis disserentes de illo pede Philetaereo quo in Aegypto utebantur, qui cum proprie Ptolemaicus vocaretur Philetaereus e Romanorum consuetudine appellatus est (§ 16). Ex hoc pede quod factum est stadium, eius dimidiae partes XV (= $7^1/_2$) miliarium complebant, illud autem miliarium non Romanum sed Aegyptium fuit, Romano quadringentis pedibus longius (§ 18 extr.). Praeterea autem pedem, qui Ptolemaico par esset, e Persarum regio cubito deductum, per Asiam minorem in usu fuisse supra docuimus (§ 16). Quem Romani cum in Pergameno regno invenissent, Philetaereum dixerunt: nos quoniam Philetaerei nomen ad Aegyptium pedem transferre secundum tabulas Heronianas consuevimus, Asiaticum, h. e. Asiae minoris pedem appellemus. Huius pedis stadium septies multiplicatum ipsum Romanorum miliarium efficit[2]). Sic igitur concludimus: Asiae minoris mensuras a Romanis eodem fere modo quo Aegyptias receptas atque ad suam mensurarum rationem accommodatas esse; in illa autem terra non ut in Aegypto aliud miliarium Romano longius in usu fuisse, sed ipsum Romanorum miliarium in eam provinciam translatum esse. Quod quemadmodum coniunctum sit cum Asiaticis mensuris, ex hac maxime tabula Περὶ πηλικότητος μέτρων perspicimus, cuius etsi aetas est recentior, auctoritas tamen valet ad multo priora saecula.

In minoribus mensuris a palmo ad acaenam (1—7) omni-

---

2) Asiae minoris pedi cum H. Wittichio (*Archäol. Zeitung* 1862, XX n. 162 B) 350 millim. tribuimus. Inde fit stadium 210 metr., quae summa septies ducta facit 1470 metr. Romanorum autem miliarium 1478,7 metr. habet. Haec igitur quam fieri potest exactissime inter se congruunt.

no valet vulgaris Graecorum ratio eadem atque in prima tabula Heroniana. Atque hoc non praetermittendum est, auctorem tabulae fractis numeris praeter semissem uti noluisse, sed pro his minores mensuras, quae quoque loco aptae essent, posuisse. Ut βῆμα (5) non cubitum unum cum besse, sed cubitum unum et pedem habere dicit (conf. tab. Her. III, 5), idemque non ad tres spithamas cum triente, sed cum uno palmo redigit eodemque modo reliqua. Inde ortus est error in plethri definitione (8), ubi cum in orgyiarum numero omisisset bessem excurrentem[3]), error propagatus est ad ceteras plethri partes. Nam XCIV pedes pro C tribuit plethro ac reliqua eadem ratione. Sed porro in stadii et miliarii definitione omnia recte computata sunt.

Denique quae scriptor tabulae de diversa miliarii ratione ac de aliis maioribus mensuris affert, ex his omnibus illum in his rebus versatum bonumque auctorem esse cognoscitur.

In fine (16) pro βασιλικῶν editum est μα . . . apud Le-Moynium. Nimirum Sarravius, cuius apographo usus est Le-Moynius (v. praef. crit.), non intellexit ductus litterarum admodum sane impeditos qui inveniuntur in codice. Nec tamen dubium est, quin βασιλικῶν voluerit librarius, idemque recte legit Du-Cangius, qui sub voce κούντουρος haec: 'κούντουροι praeterea dicuntur equi quibus cauda est decurtata'; ac postea citatur 'Anonymus περὶ πηλικοτήτων τῶν μέτρων ex Bibl. Reg.', afferturque hic de quo agitur locus, ubi recte βασιλικῶν scriptum est.

De tabula Iuliani Ascalonitae.

35 Scripsimus adhuc et de ipsis Graecis mensuris et de iis mensurarum rationibus quae Graecis et Romanis auctoribus in Aegypto atque Asia minore valuerunt. Exstat vero etiam tabula de Hebraicis mensuris Graeco sermone scripta. Quo de argumento vellem equidem me tam copiose exponere posse quam rei difficultas atque obscuritas postulat; sed video istam disputationem eos fines longe excessuram esse quibus haec circumscribuntur prolegomena.

3) Nam ιϛ′ scripsit pro ιϛ′ δίμοιρον.

Quae quidem ipsa, puto, non exigui libelli modum expleret. Atque utinam mox existat qui de Hebraicis mensuris ita scribat, ut, sin minus omnia, nonnulla tamen probari possint; nam nunc quidem res in tantis tenebris tantaque quasi colluvie demersa iacet, ut Herculeus labor, quo verum exquiratur omniaque illustrentur, impendendus esse videatur. Qua de causa nunc nihil nisi eos qui proxime de Hebraicis mensuris scripserunt, Boeckhium et Fennebergium, appellamus[1]), ac de hac Iuliani tabula ea quae omittere vel praetereuntibus non licet addimus.

Primum nec de auctore tabulae nec de aetate qua vixerit quidquam compertum habemus. Neque id quod Fennebergius (p. 109) suspicatur, fuisse illum Juliano imperatori qui Apostata dictus est aequalem, satis firma aut probabili auctoritate nititur. Hoc tamen non parvi momenti esse videtur, quod haec tabula inter leges imperii Byzantini, quas Constantinus Harmenopulus saeculo XIV collegit, recepta est[2]). Ergo etiam quo tempore ea primum scripta est, iussu imperatoris cuiusdam Byzantini ab illo Iuliano Ascalonita ad mensuras provinciae Palaestinae definiendas facta esse videtur, ut ipsa legis instar habenda sit.

Praeterea commemoro Bernardum in libris de mensuris et ponderibus Iuliani duos locos citare, quorum alter de plethri mensura prorsus cum hac tabula congruit[3]), alter paullo diversis verbis sic scriptus est[4]): τὸ νῦν μίλιον ἤτοι τῶν ζ′ ϛ σταδίων ἔχει ὀργυιὰς μὲν γεωμετρικὰς ψν′, ἁπλᾶς δὲ ωμ′, βήματα ͵αφ′, πήχεις ͵ϛ. κατὰ δὲ τὸν Ἐρατοσθένην καὶ Στράβωνα γεωγράφους τὸ μί-

1) V. Boeckh. *M. U.* p. 265—273, Fenneberg. *Untersuchungen* etc. p. 87—113. Alii qui de eodem argumento scripserunt afferuntur apud Fenneberg. p. 95 et a nobis in Metrol. p. 272 adn. 1.

2) Πρόχειρον νόμων Κονσταντίνου τοῦ Ἁρμενοπούλου. Promptuarium iuris etc. interprete I. Mercero 1587 p. 144 s. — Const. Harmenopuli Manuale legum sive hexabiblos ill. G. Heimbach (Lips. 1851) p. 238 s.

3) P. 225: *τὸ πλέθρον ἔχει ἄκαινας* (sic) *ι′, ὀργυιὰς ιε′, βήματα λ′, πήχεις ξ′, πόδας Ϙ′. Iulianus Ascalonita.* Quae respondent nostrae tabulae § 7.

4) P. 235 s., conf. nostrae tabulae § 9 s.

λιον ἔχει σταδίους η′ γ″ ἤτοι ὀργυιὰς ωλγ′. In his orgyiarum numerus ωλγ′ rectius se habet quam ille qui in Manuali Harmenopuli editus est ωλϛ′. Proprie scribendum erat ωλγ′ γ″; sed videtur triens qui excurrit ab ipso auctore, non a librario, omissus esse. Verum error in cubitorum numero apud Bernardum idem est atque in vulgata editione; neque enim ͵ϛ, sed ͵γ cubiti miliarium conficiunt. Coniecit Heimbachius (quem laudare debebat Fennebergius) scribendum esse πήχεις ͵γ ἤγουν σπιθαμὰς ͵ϛ: nos ipsum ͵ϛ in ͵γ mutavimus ex auctoritate alius similis fragmenti, quod tabulae cuidam de nummis affixum est (fr. 77 extr.). Ubi distincte scripta sunt: Τὸ μίλιον ἔχει σταδίους ζ′ S — πήχεις ͵γ.

Exstat etiam in uno libro manu scripto[5]) brevius fragmentum ad marginem Iulianeae tabulae adscriptum: ὁ ποὺς ἔχει παλαιστὰς δ′, ὁ δὲ παλαιστὴς δακτύλους δ′, ὁ δὲ πῆχυς ἔχει παλαιστὰς η′. Haec aliena esse apparet a Iuliani tabula, quae cubito sex palmos tribuit; petita autem sunt e tabula Heroniana V (4. 7. 8).

Denique hoc loco mentio facienda esse videtur mirae cuiusdam tabulae, quae inter varia fragmenta de mensuris et ponderibus Hebraicis legitur (infra § 88, IV). Quam nos, qualiscumque est, codicis scriptura nisi in apertis quibusdam mendis non mutata hic exscribimus:

Περὶ μέτρων[6]) γῆς.

Τὸ ἰουγὸν ἔχει ἀρούρας ε̄, σατίαις λ̄. ἡ ἄρουρα ἔχει σάτα ϛ̄· ἔχει δὲ εἰς μῆκος πήχεις ρ̄λ̄ καὶ εἰς τὸ πλάτος ὡσαύτως[7]). ἔστιν ἡ ἄρουρα πηχῶν ρ̄λ̄.

Τὸ πλέθρον ἔχει εἰς μῆκος πήχεις κ̄ϛ̄ καὶ εἰς τὸ πλάτος ὡσαύτως. ἔχει ἡ σατίβα[8]) καβίσας ϛ̄· κορίβα.

Τὸ ἰουγὸν λέγεται σατίβων λ̄. ἔχει δὲ ἡ κουρία[9]) ἰούγερα μικρὰ ιγ′. ἀροτριᾷ τὸ ζεῦγος τῶν βοῶν τῆς ἡμέρας σατίβας β̄S̄[10]).

---

5) Heimbach. p. 239 adnot.
6) λίετρων cod.
7) ὡσαύτος cod.
8) σατ′βα cod.
9) κουρια sine acc. cod.
10) β̄S̄ in codice minus distincte scriptum.

II. *Africanus*: τὸ γραμμάριον θέρμουϲ ἔχει τρεῖϲ, ὁ δὲ θέρμοϲ κεράτια δύο. Haec in brevius contracta e quarta collectione ponderum et mensurarum (fr. 78, 5. 8).

III. Καὶ ὁ ξέϲτηϲ ἄρα εἰϲ κοχλιάρια ἀναλύεται ἐννήκοντα (sic) ϛʹ. Eadem leguntur in fragmento Eusebiano (88, 2).

IV. *Africanus*, *Oribasius*, *Adamantius de ponderibus*: Ὁ κύαμοϲ ὁ Αἰγύπτιοϲ[6]) ἔχει ὀβολοὺϲ τέϲϲαραϲ, ὁ Ἀλεξανδρινὸϲ ὀβολοὺϲ τρεῖϲ, ὁ δὲ Ἑλληνικὸϲ ὀβολοὺϲ δύο.

V. *Apud Africanum in capite de ponderibus*: Τὸ μὲν τάλαντον ϲημειωτέον τῷ Ξ ϲτοιχείῳ διὰ μέϲον γραμμὴν ἔχοντι, Ξ.

Praeterea Salmasius scribit fragmentum de talentis (95) in quibusdam libris Africano tribui[7]), id quod non magis probandum est quam Galenum, Dioscoridem, Eusebium alios ea de mensuris et ponderibus scripsisse quae in codicibus illis assignantur.

De Oribasio, Adamantio, Myrepso.

Pervenio nunc ad Oribasium, Iuliani imperatoris qui 48
apostata vocatur archiatrum[1]). Is amplissimum opus Ἰα-

---

3) Hi sunt numeri paginarum: I Plin. ex. p. 163 b B, 847 a B — II ibid. p. 327 b B — III p. 417 a G — IV p. 689 a F — V Refut. p. 40.

4) ἔχει Salm. p. 163, ἔχουϲι idem p. 847.

5) κάδουϲ Salm. 847, κάδδουϲ idem p. 163.

6) Ibidem citatur Neophytus Monachus in Lexico Herbario: Αἰγύπτιοϲ κύαμοϲ ὁ μέγαϲ κύαμοϲ.

7) Refut. p. 19. 32. 58; vide infra prol. § 99 adn. 2.

1) V. Fabricium in Bibl. Gr. vol. XIII p. 353.

τρικῶν cυναγωγῶν libris LXXII confecit, ubi omnia quaecumque a prioribus medicis egregie et utiliter scripta esse viderentur ex eorum libris compilavit certoque ordine disposuit[2]). Cuius vastae et ingentis collectionis ipse postea breviorem epitomen fecit, quae Cύνοψιc inscribitur. Eundem vero etiam de mensuris et ponderibus scripsisse testatur scriptor illius expositionis quae primum locum in collectione Galenea obtinet (§ 50. 52). Quod ego cum cognovissem primum inquirendum esse duxi, num forte in libris cυναγωγῶν de eo argumento quaedam traderentur. Sed ibi in variorum medicorum locis varias quidem mensuras afferri vidi, nihil tamen quod ab ipso Oribasio de ea re commemoraretur inveni[3]). Tum vero maiore etiam stu-

2) Confer praefationem ipsius operis ad Iulianum scriptam: δευτέραν ἐπέταξας πρᾶξιν πάντων τῶν ἀρίcτων ἰατρῶν ἀναζητήcαντά με τὰ καιριώτατα cυναγαγεῖν καὶ πανθ' ὅcα χρηcιμεύει πρὸc αὐτὸ τὸ τέλοc τῆc ἰατρικῆc. Libros LXXII id opus habuisse scribit Suidas s. v. Ὀρειβάcιοc; septuaginta tantum libros eidem tribuit Photius in Bibl. cod. 217. Qui omnino copiosius (inde a cap. 216) de Oribasii scriptis disserit.

3) Omissis brevioribus eius operis reliquiis quae adhuc editae sunt (v. Choulant. I p. 122 s.) adhibui Matthaei priorum quindecim librorum editionem, quae inscribitur XXI veterum medicorum Graecorum opuscula (Mosquae 1808). Unde haec de mensuris excerpsi: Antyllus, medicus incertae aetatis (Fabr. XIII p. 71) habet δραχμήν (p. 168), τριώβολον (p. 174), κοτύληc Ἀττικῆc ἥμιcυ (168), κύαθον (174), μύcτρον (171). Adde p. 186: ὀπὸc Κυρηναϊκὸc cὺν ὕδατι διειμένοc — πινόμενοc μέγεθοc ὅcον ἐρεβίνθου. — Archigenes, qui ante Galenum Romae artem medicinam exercuit (Fabric. p. 80), et Romanis et Graecis vel Aegyptiis mensuris usus est. Inveniuntur apud eum ξέcτηc (163), ἡμικοτύλιον (157), κύαθοc (221), λίτρα (162. 163), ἡμιλίτριον (156), δραχμή (162. 221), ὁλκή (221. 222), ἡμιόλκιον (222), quod quidem nullo alio loco legi, denique μύcτρου cυμμέτρου πλῆθοc (163). Uno loco cφαῖρα, i. e. globulus, magnitudine Ποντικοῦ καρύου definitur (221). — Dieuches, qui a Plinio citatur (Fabr. 141), plane Graecam consuetudinem sequitur. Pondera sunt μνᾶ (40), δραχμή (44. 45. 46. 216), τριώβολον (39: ὅcον τρ. ὁλκῆc); mensurae κοτύλη (38. 40. 42 al.),

dio quaerere coepi, si quid praeterea de mensuris Oribasius scriptum reliquisset. Ac mox vidi Du-Cangium saepius citare Oribasium de ponderibus et mensuris manu scriptum[4]; quibus vestigiis cum insisterem, contigit mihi, ut eundem librum quo ille usus est Parisiis reperirem. Hinc quattuor illas tabulas Oribasianas descripsi (fr. 67–70), de quibus iam breviter dicendum est. Primum omnium apparet eas tabulas non magis ab Oribasio quam Galeneas a Galeno vel Dioscorideam a Dioscoride scriptas esse (§ 49. 81).

ἡμικοτύλιον (46), ὀξύβαφον (47. 216); tum τέταρτον μέρος vel τεταρτημόριον τῆς χοίνικος (45. 48), unde alio loco prava scriptura τεταρτημόριον τῆς χόας in χοίνικος mutanda (38); ἡμιχοινίκιον (42). — Diocles, a Galeno citatus, habet: εἰς μετρητὰς (pro μετρίτας) δέκα πρασίου μνᾶν (67), ἡμίεκτον εἰς ἀμφορέα (54), κύαθον (187. 215), denique ὅσον ἰσχάδα μετρίαν, caricae mediocris magnitudine (215). — Apud Herodotum, qui ante Galenum vixit (Fabr. p. 184), praeter κοτύλην (70. 164. 165) et κύαθον (80. 294) inveni κοχλιάριον (165) et μύστρου πλῆθος (ibid.). — Justus, nisi fallor is qui Galeno aequalis fuit (Fabric. p. 306), δραχμὰς aliquoties scripsit (223). — Item apud Lycum, a Galeno citatum, reperi δραχμὴν (194); tum: σφαιρία γίνεται ἡλίκα κυάμου (217: haec igitur non propria mensura). — Philagrius, Galeno posterior (Fabric. p. 364) partes, non mensuras, in formulis medicamentorum perscribere solitus est, habet tamen κοχλιάρια (58). — Philotimus, non is qui Erasistrato, Theophrasti discipulo, aequalis fuisse dicitur (Fabric. p. 369), nullis nisi Romanis ponderibus et mensuris usus est: libra, uncia, scripulo, sextario (82—86). Uno loco (86) drachmae nota < excidisse videtur. — Philumenus (Fabric. p. 367) habet δραχμήν, ὀβολόν, κύαθον (219); denique Xenocrates, qui sub Tiberio vixit (Fabric. p. 452), δραχμὴν et κοτύλην (357). Haec sunt quae apud Oribasium de mensuris inveni.

4) Vide s. θερμός: *Oribasius de ponderib. et mensuris MS: ὁ θερμὸς ἔχει κέρατον α' καὶ ἥμισυ*, qui est locus fr. 67, 33. Tum sub κεράτιον idem affert fr. 67 § 27, sub στάγιον eiusdem fragmenti § 14. 15. 16. 26. Alio autem libro usus est (nisi ipse erravit) in afferendis his: *δράμη ponderis species apud medicos. Oribasius MS δραμὴ κέρατον α'* — ubi nostra tabula (fr. 67, 35) habet: ἡ δραγμὴ ἔχει κέρατον α' C. Quae ibidem addit Du-Cangius, ea rursus congruunt cum § 28.

Nimirum et in tertia tabula (fr. 69, 4) ipse Oribasius auctor citatur, nec per dicendi genus ulla e reliquis tabulis ab Oribasio scripta esse potest. Quid multa? Pertinent omnes ad collectionem Galeneam, a qua nisi levioribus in rebus non dissentiunt. Prima enim Oribasiana tabula similis est capiti Galeneae collectionis octavo, tum secunda tabula respondet capiti V, tertia capiti IV, denique quarta capiti III. Quaecumque igitur infra de illis Galeneis capitibus disputabimus, eadem ad has Oribasianas tabulas pertinebunt. Praeterea quid discriminis in utraque collectione edenda fecerimus, expositum est in praefatione.

Addo hoc statim loco Adamantii mentionem. Scripsit is Φυσιογνωμικά, quae dedicavit Constantio, Constantini Magni filio[5]). Unde colligimus eum in honore fuisse apud illum imperatorem, qui cum inimicus fuerit Iuliano, admodum verisimile videtur Oribasium, Iuliani archiatrum, librum quendam composuisse adversus Adamantium, κατὰ Ἀδαμαντίου, quam scripturam in libris corruptam duobus locis restituimus[6]). Ceterum nonnulla de ponderibus et mensuris scripta ab Adamantio invenerunt Salmasius et Du-Cangius[7]), quae si quis Parisiis sedulo quaerat, facile

---

5) De scriptis Adamantii v. Fabricium in Bibl. vol. II p. 171. Sed idem in eo errare videtur, quod Constantio illi, qui sub Honorio fuit eiusque sororem (non *uxorem*, quod habet Fabricius) in matrimonium duxit (a 417), physiognomica ab Adamantio dedicata esse opinatur. Nam ex illo Ὀρειβάσιος κατὰ Ἀδαμαντίου (v. adn. 6) utique apparet non post Oribasium floruisse Adamantium, unde porro probabile est eum Constantio imperatori, qui decessit anno 361, physiognomica dedicasse atque apud eundem in honore fuisse.

6) Fr. 54, 15 libri omnes Ὀριβάσιος κατὰ Ἀδαμάντιον habere videntur, altero autem loco (fr. 69, 4) ἀδάμαντι in codice legitur. Iam κατὰ Ἀδαμάντιον ita quodammodo potest defendi, ut ea pars Oribasii librorum, ubi Adamantius citatur (nam huius etiam medicamenta exscripsit Oribasius), significetur. Hoc si cui arrideat, non repugno: mihi diu ac multum ea re considerata non dubium est, quin κατὰ Ἀδαμαντίου eo quo supra demonstravi sensu scribendum sit.

7) Salmasii locum vide supra § 47. Du-Cangius (tom.

in lucem proferat: nobis quamvis cupientibus otium eius rei exsequendae non concessum fuit.

Denique uno loco etiam Myrepsus de ponderibus citatur a Salmasio[8]). Ne tamen hic novum quendam auctorem afferri existimes, ea ipsa quae ab illo tribuuntur Myrepso petita sunt e prima tabula Oribasiana. In eo autem codice unde nos has tabulas edidimus, quo eodem usus est Salmasius, Oribasiana appendicem quasi faciunt amplissimae Nicolai Myrepsi medici collectionis: nihil igitur nisi Myrepsi nomen ad has tabulas, quas ab Oribasio non scriptas esse intellegeret, transtulit Salmasius.

De tabulis Galeneae collectionis in universum disseritur.

Hoc longiore apparatu praemisso iam aggredior rem 49
longe difficillimam, ut de iis tabulis mensurarum ac ponderum quae Galeni libris affixae atque initio ipso Galeni nomine inscriptae sunt accuratius exponam. Ac speraveram equidem, cum de Heronianis tabulis explicuissem, gravissimam huius praefationis partem me confecisse; sed tamen hic multo plures multoque maiores video difficultates. Nam in illis Heronianis, etsi multo obscura essent, tamen sua cuique tabulae aetas tribui poterat et per se quaeque quasi certam et definitam mensurarum rationem exhibebat: at in his tabulis mirum quantum fere omnia confusa sunt et perturbata. Verum tamen cum pleraque quae in iis traduntur quam maximi sint momenti, summa ope enitendum videtur, ut, quantum fieri possit, omnia explicentur et illustrentur. Qua in re eandem fere viam ac

---

II, Indicis p. 24) inter auctores Graecos ineditos, quibus se usum esse dicit, affert *Adamantinum* (voluit *Adamantium*) *de ponderibus et mensuris, maxime medicorum, ex cod. Reg. 2690.* Vide etiam Labbaeum in Bibl. nova MSS. (a. 1653) p. 123: *Adamantii, Africani, Dioscoridis Sorani et aliorum de ponderibus et mensuris ex cod. Reg. 36. 223. 299. 1305 et ex aliis.*

8) Refut. p. 37: *Myrepsus de ponderibus:* τὸ γράμμα ἔχει κέρατα ϛ' ἤτοι ξυλόκοκκα. ὁ ὀβολὸς ἔχει κέρατα τρία, quae apud nos leguntur in fragm. 67, 31. 32. Idem citatur in Plin. Exerc. p. 327 b B.

rationem sequendam esse duxi qua in Heronianis tabulis usus sum.

Nullam ex his tabulis ab ipso Galeno scriptam esse et ne originem quidem ullius ad eum referri posse, tam dilucide apparet, ut demonstratione non egeat[1]). Iam sub primis imperatoribus tabulam de medicorum mensuris et ponderibus compositam esse vidimus eiusque auctorem alios qui antea de eodem argumento scripsissent secutum esse (§ 40). Tum Galenum, qui secundo saeculo vixit, legimus multos libros de ponderibus et mensuris scriptos cognovisse eorumque auctoritate usum esse (§ 45). Qua autem in terra et quo tempore primum de iis rebus scriptum esse censemus? An dubium est, quid sit respondendum? Profecto cum in Aegypto sub Ptolemaeis regibus artis medicinae studia mirifice florerent, et quaecumque a medicis scripta erant diligenter legerentur, tunc etiam primum exstiterunt qui varias mensurarum rationes in tabulas componerent atque inter se compararent[2]). Hinc postea ea mensurarum scientia translata est Romam, atque ut Heronianae tabulae sic etiam medicinales temporum decursu, prout cuiusque aetatis usus ferebat, multimodis immutatae et in alias ab aliis formas redactae sunt.

Ante omnia igitur quaerendum est, quaenam primaria earum tabularum forma fuisse videatur. Hic recentiores quaedam tabulae propius ad antiquam formam accedere

---

1) Primus, quantum scio, Neander in Synopsi mensurarum (Basil. 1555) p. 64 Galenum earum tabularum auctorem esse negavit: *Sed procul dubio*, inquit, *quilibet ista legens mecum ita iudicabit, ista non a Galeno sic mutile et confuse scripta: sed cum iniuria temporum vel neglectius habita, vel violentius disturbata essent, deinceps ab alio quodam, cui tamen sua debetur gratia, turbide et quomodocumque convoluta et consarcinata esse.*

2) Maximum eius rei documentum repeto ex illo Galeni loco (fr. 44), ubi οἱ πλεῖστοι τῶν περὶ τῶν σταθμῶν καὶ μέτρων γραψάντων unciae drachmas septem et semissem tribuere dicuntur: hanc enim aestimationem ad Ptolemaicam drachmam pertinere constat (§ 71). Verum etiam multa alia Aegyptiae originis vestigia exstant, quae infra suo quaeque loco notabimus.

videntur quam illa vetustissima Benedictinorum (§ 40). Omnino earum tabularum scriptoribus id propositum fuisse iudicamus, ut quaecumque medicos in formulis medicamentorum perscribendis de ponderibus et mensuris scire necesse esset, ea breviter proponerent. Primum igitur — quamquam non omnes id fecisse videntur — notas ponderum et mensurarum describebant, tum separatim de ponderibus, deinceps de mensuris et liquorum et granorum exponebant. Atque in liquidorum mensuris definiendis non omiserunt rem gravissimam, ut aut vini aquaeve aut olei pondera singulis mensuris adscriberent. Iidem varias ponderum rationes ita explicabant, ut primum Attica pondera cum Ptolemaicis, tum alii qui Romae scribebant utraque cum Romanis compararent, deinde mensuras quoque et Atticas et Aegyptias et Romanas componerent.

Huius antiquae et primariae formae speciem praebet in Galenea collectione prima expositio de ponderibus et mensuris, de qua continuo dicturi sumus. Quamquam etiam in aliis tabulis satis certa eius rei vestigia servata sunt. At vero temporis intervallo longissimo omnes eae tabulae absunt a prima origine. Nam quarto demum et quinto saeculo in eam formam redactae sunt quae nunc exstat. Quod cum infra pluribus locis demonstraturi simus, hic id praeterimus, nisi quod in prima expositione Oribasium citari commemoramus, unde merito concludimus non ante quinti saeculi initium eam expositionem scriptam esse.

Sed tamen multum abest, ut omnia quaecumque in his tabulis traduntur ad illa recentiora tempora revocari debeant. Immo plurima e vetustioribus libris petita et cum recentioribus rationibus conglutinata sunt. Hoc igitur maxime nobis agendum erit, ut has tabulas in sua quasi elementa resolvamus, quantumque fieri possit, singulorum locorum et aetatem et auctoritatem definiamus.

Unum hoc loco non omittendum est, quod ad totam eam disputationem quam aggredimur pertineat, capita a nobis numerari eius collectionis quam Charterius in extremo volumine Hippocratis et Galeni operum edidit. Nam praeterea aliae in aliis libris eius collectionis formae ex-

stant, qua de re in praefatione critica exposuimus. Sed Charterianam editionem non solum propterea sequendam esse duximus, quod plurimi viri docti adhuc eam citare consuerunt, sed etiam quia eadem ita plenior et copiosior est ceteris, ut si varias collectionis formas inter se comparare velis, hoc quasi fundamentum subiici necesse sit.

Prima expositio de medicorum mensuris et ponderibus illustratur.

50 Primam expositionem de medicorum mensuris et ponderibus, quae Galeneae collectionis capita I ad V complectitur, non ante saeculi V initium scriptam esse iam significavimus. Sed scripta est ab homine nec indocto nec inconsiderato. Is priorum medicorum eorumque qui de ponderibus scripserant libros, quantum res postulabat, satis cognoverat. Omitto titulum Γαλήνου τοῦ σοφωτάτου et cetera, qui nescio an ab aliena manu postea adscriptus sit, sed ipse expositionis scriptor infinitam esse secundum regiones hominumque mores ponderum et mensurarum varietatem non ignorat, atque de iis quae maxime vulgata sint explicare sibi proponit (cap. I). Iam primum de notis ponderum et mensurarum accuratissime ita exponit, ut veterum, h. e. scriptorum primi secundive saeculi, praecepta sequatur (II, 1: τοῖς παλαιοῖς κατακολουθοῦντα, ib. 6: παρὰ παλαιοῖς); tum de ponderibus, deinde de mensuris liquorum, extremo brevius de mensuris aridorum tradit. In ea autem parte quae est de mensuris liquidorum (cap. IV) admodum scienter pondera variorum liquorum definiuntur et in tabula quadam proponuntur, ibidemque Oribasius citatur, gravissimus illius aetatis auctor (§ 48). Denique extrema expositione (cap. V, 8) infinita solidarum rerum ponderis varietas esse dicitur κατὰ τὴν τῆς ἰατρικῆς τέχνης διδασκαλίαν καθὼς οἱ πρὸ ἡμῶν σοφοὶ ἰατροί τε καὶ διδάσκαλοι ταῦτα ἡμῖν διεσαφήνισαν.

Haec igitur de doctrina scriptoris ac de auctoribus quibus usus est: iam ipsas eius tabulas, si quid in his obscurius esse videatur, explicemus.

Ad capita primum et secundum nihil adnotandum est.

De ponderibus quae ibidem afferuntur.

Capite tertio de ponderibus agitur. Hic praetermissa 51
mina primum de libra eiusque partibus quaeramus. Haec omnia proprie ad Romanam normam descripta sunt. Libra uncias habet XII, uncia denarios sive drachmas sive ὁλκάς VIII, drachma γράμματα sive scripula III, scripulum obolos II. Ea fuit ponderum ratio inde a Neronis aetate, ubi primum octo denarii ex uncia facti sunt[1]). Ad haec vero, postquam Constantinus imperator totam rem nummariam restituit et ad auri libram omnes rationes revocavit, accessit κεράτιον sive siliqua, quod proprie fructus nomen fuit[2]), sed tum sextam scripuli partem, minutissimum pondus, significare coepit[3]). Quin etiam ipsa siliqua, ut scriptor tabulae docet, tum in IV σιτάρια sive granula dividebatur; sed servabatur praeterea chalci memoria, qui cum octava oboli pars esset, κεράτιον sive tertia oboli pars habebat chalcos duo et bessem (χαλκοῦς δύο δίμοιρον· ὁ γὰρ ὀβολὸς ἔχει χαλκοῦς η΄).

Sed restat ut de initio eiusdem capitis dicatur, ubi haec leguntur: Ἡ μνᾶ ἡ Ἀττικὴ καὶ ἡ Αἰγυπτία ἔχει Ϝ ιϛ΄· ἡ μνᾶ ἡ Ῥωμαϊκὴ ἔχει Ϝ κ΄. Hic prima definitio facile

---

1) V. Metrol. p. 235. 113 s.

2) V. Sprengel. in comment. in Dioscoridem p. 415: *κεράτια sunt legumina Ceratoniae Siliquae L., Romani siliquas Graecas fructum dicebant.*

3) Siliqua quonam tempore inter pondera recepta esset, praeter Christium p. 47 (conf. § 41 adn. 5), qui rem in transitu attigit, nemo adhuc quaesivit. Iam vetustiore tempore Aegyptii atque Hebraei frugum grana pondera fecisse videntur. Romanis autem tam exiguis ponderibus non prius opus fuit quam ad auri libram omnia rerum pretia referebantur, quod sub Constantino imperatore factum esse constat (v. Metrol. p. 245 s.). Tum minutissimum pondus fieri necesse fuit, quo in rationibus subducendis uterentur. Itaque siliqua, sexta pars scripuli, ponderibus addita est. Cuius primus mentionem facit Vegetius, qui exeunte saeculo IV scripsit, in formula medicinali (art. vet. 1, 20: *auri semunciam, ballucae siliquam*). Eodem tempore siliquae nomen impositum est argenteo illi nummo qui tantundem quantum una auri siliqua valeret (v. Metrol. p. 249).

explicatur. Nam Attica mina, quae XVI uncias sive unam libram et trientem habet, convenit cum proprio Atticorum talento quod fuit octoginta librarum Romanarum[4]). Vetusti igitur Attici talenti memoria ne quarto quidem saeculo vel quinto post Chr. n. apud medicos oblitterata erat. Quod egregie confirmatur testimonio Dioscorideae tabulae (cap. XIV, 8): ἡ μνᾶ κατὰ τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν ἄγει Γ° ιϛ′, h. e. medicorum in usu vetus Attica mina servabatur. Quid autem de Aegyptia mina statuamus, quae aequalis Atticae esse dicatur? Nunquam Aegyptiorum nummi ad Atticam normam facti sunt, et diversa Ptolemaica mina fuit ab Attica. Nec vero hoc loco Aegyptia mina proprie est accipienda, sed dicta pro Attica. Unde hoc factum? Memineris, quaeso, artis medicinae sedem et quasi domicilium inde a Ptolemaeorum regno usque ad Augusti tempora Alexandriam fuisse; medici autem Alexandrini Attico maxime pondere utebantur: quapropter non mirum est Atticam minam etiam Aegyptiam dici.

Denique in Romana illa mina cui XX unciae tribuuntur explicanda ne praeter necessitatem inmoremur. Nam ea res egregie a Boeckhio[5]) illustrata est. Nimirum posteriore aetate — puto equidem a quarto inde saeculo — centumpondium Romanum etiam talenti modo dividere consueverunt. Sic exstitit sexagesima pars sive mina, quae habebat libram Romanam unam cum besse sive uncias XX. Quae ut hoc loco Ῥωμαϊκή, ita ab Epiphanio Ἰταλική vocatur (fr. 82, 44).

De mensuris liquorum.

52 De mensuris is qui hanc expositionem scripsit duobus capitibus (IV et V) disserit.

Primum mensuras liquorum prorsus e Romanorum ratione describit. Nam τὸ Ἰταλικὸν κεράμιον est amphora Romana, quae VIII χόας sive congios habet. Congio autem VI sextarii conveniunt. Dimidia sextarii pars vulgato

---

4) Multiplica libram $1\frac{1}{3}$ cum 60, ut e mina talentum fiat: habes libras Romanas 80. Conf. Metrol. p. 147.

5) *M. U.* p. 299 s. Conf. etiam Christium. p. 77 s.

nomine κοτύλη vacatur; praeterea autem Attica appellatio τρυβλίον affertur. Quod autem eadem mensura etiam κοχλιάριον vocatur, id ab interpolatore additum esse postea demonstrabimus (§ 80).

Sextarius et τρυβλίον olei pondere, alter ad libram I S, alterum ad uncias IX definiuntur, ipsa tamen olei significatio omissa est (supra § 42). Sed totus hic locus, cum merito suspectus videatur, a nobis uncis notatus est (v. § 80).

Eo loco quo de cotylae divisione agitur multa in codicibus turbata esse videntur[1]). Nos primum post τὸ τρυβλίον δὲ eiecimus τὸ μικρόν, tum Neandrum secuti reliqua quae inepte addita sunt extrusimus. Sic igitur pure atque emendate locus scribendus est: τὸ τρυβλίον δὲ ἔχει μύστρα μεγάλα γ', ὀξύβαφα δὲ δ'· τὸ γὰρ μέγα μύστρον ἔχει ὀξύβαφον α' καὶ γ''.

Cotylae partes praeter maius mystrum et oxybaphum sunt cyathus, sexta pars cotylae, tum χήμη μικρά sive μύστρον μικρόν, quae dimidia cyathi pars esse dicitur. Hae igitur secundum scriptorem tabulae minimae sunt liquorum mensurae

κοτύλη sive τρυβλίον [κοχλιάριον]	1			
μύστρον μέγα	3	1		
ὀξύβαφον	4	1⅓	1	
κύαθος	6	2	1½	1
χήμη μικρά sive μύστρον μικρόν	12	4	3	2

1) Quae infra in contextu (fr. 54, 6) exhibuimus, ea est vulgata Charterii scriptura, cum qua Stephanus consentit usque ad ὀξύβαφα γ', omittit autem reliqua. At perversum est, quod mystro tribuuntur ὀξύβαφα γ', cum eodem loco tria mystra cum quattuor oxybaphis aequiparentur. Ac facile perspicitur ὀξύβαφα γ' prave scriptum esse pro ὀξύβαφ. α' γ'', unde efficitur genuinam loci scripturam exstare apud Neandrum, quam in nostro libro habes, si ea quae uncis inclusa sunt omittis. Idem praeterea confirmatur auctoritate eius qui cap. XIII composuit, nisi quod illic perinde ὀξύβαφον α' γ'' in ὀξύβαφα γ' corruptum est. Denique insigniter comprobatur Bernardi coniectura μυστρῶν τριῶν apud Hesychium v. τρυβλίον scribentis.

Sequitur altera pars capitis IV, ubi copiosius de ponderibus liquorum exponitur. Mel vino gravius esse dicitur septem vicesimis partibus[2]) sive una fere tertia, idem oleo gravius dimidia parte. Vinum autem olei pondus nona parte superat. Unde fit ut Romana amphora, quae vini habet pondo LXXX, eadem olei habeat pondo LXXII, mellis CVIII. Eadem ratio ad omnes minores mensuras valet, quod quo facilius perspiceretur, haec omnia in tabula quadam accurate descripta sunt.

Porro Oribasius auctor de mensuris citatur (supra § 48). Is quod sextarium vini μέτρῳ μὲν ἔχειν ℔ κδ΄ dicit, metricas uncias, quae sunt cornus olearii, intellegit (§ 46); idem autem recte vini sextario pondo I uncias VIII tribuit. Mellis pondus paullo maius esse statuit quam scriptor huius tabulae; sextario enim mellis tribuit pondo II S, non II et quadrantem[3]).

De mensuris frumentariis.

53 Denique capite V de frumentariis mensuris agitur. Omittamus primum Aegyptiam artabam et modium. Sed modii Italici, i. e. Romani, legitima divisio traditur eaque cum Atticis mensuris componitur. Haec omnia tam perite ac diligenter scripta, ut unus error κυάθους η΄ pro ϛ΄ (5) scriptori expositionis tribui non possit; merito igitur ϛ΄ coniectura restituimus[1]).

Inexplicabilis difficultas in eo inesse videtur, quod Aegyptiae artabae quinque modii tribuuntur. Quos modios Romanos esse ex ipsa tabula cognoscitur; sed iidem prae-

2) Sic enim accipienda sunt Graeca verba τετάρτῳ μέρει καὶ προσέτι δεκάτῳ. Adde $\frac{1}{10}$ ad $\frac{1}{4}$, fiunt $\frac{7}{20}$.

3) Cum Oribasii ratione prorsus convenit tabula Dioscoridea, de qua vide infra § 81.

1) Tabula Oribasiana secunda (fr. 68, 1), quae respondet huic V capiti, eodem loco habet ἡ δὲ μήκωνα ἔχει κυάθους η΄. Videtur igitur scriptor aliam mensuram intellexisse. Sed in emendata tabulae forma utique ex legitima ratione ἡ ἡμίνα ἔχει κυάθους ϛ΄ restituendum fuit.

terea Aegyptii recte appellantur, quoniam in Aegypto vetus artaba ex Romano modio definita erat (§ 39). Verum ipsa artaba quae hic affertur nec recentior est modiorum trium et trientis nec vetustior illa sive Ptolemaica modiorum quattuor semissis. Revocanda tamen sunt in memoriam quae supra eodem loco (§ 39) de Aegyptiis mensuris sub Romanorum imperio mutatis diximus. Universa mensurarum ratio e cubito solido Romanorum, qui decem modios capiebat, derivabatur. Iam si omnes vetustiores mensuras servare voluissent, Ptolemaicum medimnum, qui antea IX modiorum fuerat, decemmodium facere debebant. Quodsi hoc minus placebat, tamen Ptolemaica artaba, dimidia medimni pars, ita recipi poterat, ut iam dimidia cubiti pars sive V modiorum fieret. Hoc etsi ad ipsam Aegyptum non valuit — nam ibi omnino minor artaba modium trium et trientis in usu fuisse videtur — tamen ab illa provincia quae olim Aegyptiorum fuerat, Cyprum insulam dico, mensuram quinque modiorum non alienam fuisse cognoscimus ex Epiphanio[2]). Ea igitur est Aegyptia artaba quae hoc loco commemoratur.

De iis tabulis quae primam expositionem proxime sequuntur.

Hactenus de prima ponderum et mensurarum exposi- 54
tione quae Galeni nomine inscribitur. Cuius etsi auctorem frustra quaesivimus, tamen et qua fere aetate scripta esse videretur, coniicere potuimus, et ab uno illa omnia certo ordine et consilio composita esse cognovimus. Iam vero sequitur apud Charterium[1]) collectio quaedam indigesta,

2) V. infra fr. 82, 7. Nonnullos alios locos de artaba V modiorum obscure, ut solet, affert Bernardus p. 66 s. Sed tamen quae de Hieronymo significat ea corriges subtili Queiponis disputatione perlecta (I p. 212 s.).

1) Primo dubitavi, num Charterius omnes illas tabulas inde a capite VI eodem ordine in codice aliquo perscriptas invenisset; ac veri similius mihi videbatur ea variis e libris et manu scriptis et editis compilata esse. Sed tamen in iis copiis quae mihi suppeditarunt nullum inveni fragmentum quod plane congrueret cum ullo Charteriano, similia autem plurima. Quo facto, si minus cer-

ubi varia admodum variis e libris compilata sunt (cap. VI —IX). Inscripta sunt Περὶ σημείων καὶ χαρακτήρων τῶν ἐν ταῖς συσταθμίαις καὶ περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων, continentur autem hoc titulo primum duae notarum tabulae uno capite (VI) comprehensae, quas ego distinguendas et discernendas esse statim demonstrabo, tum tres tabulae ponderum et mensurarum a variis scriptoribus profectae (cap. VII. VIII. IX).

Multo brevior est illa eius collectionis forma quam editiones Aldina ac Basileensis et Stephanus exhibent, qui et capitis VI partem alteram et caput VII et VIII omiserint[2]. A Neandri vero libro etiam caput IX abest, et capitis VI pars prior legitur post caput II. Ne tamen eae tabulae quas ab his omissas esse dixi aut suspectae aut neglegendae esse videantur: exstant et eadem, quae in Galenea collectione solus habet Charterius, in appendice Nicandri Aldini, quae suam per se habet auctoritatem, et nonnulla ex his continentur tabulis Oribasianis ex pervetusto codice a me editis (fr. 67—70). Videmus igitur permultos aetate Byzantina eas tabulas in suum usum descripsisse aliosque alium in ordinem redegisse. Nobis autem de eo argumento iam ita disputandum est, ut separatim per se quamque tabulam illustremus.

Secunda tabula de notis ponderum et mensurarum explicatur.

55 Initio eius collectionis de qua agimus primum separanda est capitis VI pars prior (1—10), quam singulari quadam auctoritate esse facile demonstratur. Nam is qui eam tabulam scripsit breviter praefatus de rei gravitate primum de ponderum notis ita exponit, ut a summo minae pondere descendat ad libram et unciam et sic porro ad ἡμιώβολον, minimum pondus; tum idem e mensuris liquidorum sextarii et cyathi notas affert. Quae cum peritissime eoque ordine qui ad rem aptissimus est composita sint, sine dubio spurii iudicandi sunt duo illi loci de μέρους et ὁλκῆς

---

tum, at probabile est eas tabulas a Charterio ex uno codice editas esse.

2) Conf. praef. crit. ad Galen. coll.

notis (5. 11), quos minime ad contextum expositionis pertinere, sed a recentiore manu adscriptos esse apparet.

Atque in promptu est etiam de aetate huius tabulae coniecturam facere. Nempe aut ipsa vetustior est reliquis huius collectionis fragmentis, aut e vetustiore fonte ita derivata, ut nihil, quod ad posteriora tempora pertineret, sit additum. Nam maximum momentum in Graecis ponderibus ponitur, atque ex his minimum ἡμιώβολον affertur ex ipsa Attica ratione. Romanorum pondera nulla nisi libra et uncia commemorantur; minime vero siliqua, recentioris aetatis index. Haec omnia tum scripta esse videntur cum primum Romani Graecorum medicorum libris cognoscendis incumbere ipsique medicinae arti tractandae studere coeperunt.

De tertia et quarta notarum tabula.

In altera capitis VI parte alia notarum tabula reperitur, quae proxime cum prima expositione (cap. II) convenit. 56
Quod quo facilius perspiciatur, singula sic inter se componamus:

cap. VI, 12	=	cap. II, 2	nisi quod nota choenicis $\overset{οι}{\chi}$ omissa est.
— - 13	=	— - 3	
— - 14. 15	=	— - 4,	sed omissa est oboli nota ~ (γραμμὴ περιcπωμένη τεθεῖcα)
— - 16	=	— - 5	
— - 17	=	— - 6,	sed librae una tantum nota affertur.
— - 18	=	— - 7	
— - 19	=	— - 8	
— - 20	=	— - 9	
— - 21	=	— - 10	
— - 22	=	— - 11,	nisi quod hemina omissa est.

Omnino igitur praeter leviores quasdam res eandem notarum descriptionem hic atque illic legimus. Ne tamen hanc alteram descriptionem ex illa priore ortam esse exi-

stimes; sed potius prior ita facta esse videtur, ut scriptor eius eodem quasi fonte atque alter uteretur, sed his nonnulla pro suo arbitrio adiungeret.

Denique in fine totius Charterianae collectionis (cap. XVI) addita est brevis quaedam tabula, quae et re et fere etiam verbis congruit cum secunda notarum tabula (1—7).

De ponderum ratione in secunda ponderum et mensurarum tabula (cap. VII).

57 Sequitur Charterianum caput VII sive nostra secunda tabula de ponderibus et mensuris, quae inscribitur Ἔκθεcιc περὶ cταθμῶν καὶ μέτρων ἀκριβεcτάτη.

Huius quattuor partes discernere licet, quarum prima ponderum tabulam continet (1—11). Ea prorsus ad similitudinem Heronianarum tabularum composita est. Nam ut illic a digito, ita hic initium fit a siliqua, minimo pondere, quae μονάc vocatur [1]). Tum certo ordine maiora quaeque pondera ex prioribus quibusque definiuntur, ut obolus e siliqua, scripulum ex obolo, cetera eodem modo. Sed uno loco error latet, cuius culpa librario alicui, non scriptori tabulae, assignanda est. Nam cum drachmae scripula tria tribuantur ita, ut sit librae pars nonagesima sexta, eadem drachma cum suo s e m i s s e non potest efficere δηνάριον, quod pro septuagesima secunda parte librae computatur, sed id δηνάριον drachma cum suo triente efficiat necesse est. Scribendum igitur (5) τὸ δηνάριον δραχμὴν μίαν γ″ (h. e. Γ pro C nota semissis). Iam omnia egregie inter se congruunt, quemadmodum haec tabula docet:

κεράτια	3	habet	ὀβολόc,	1728	libra
ὀβολούc	2	—	γράμμα,	576	—

1) Siliquae appellatio praeter κεράτιον affertur etiam κόκκιον, quae quidem vox ad vulgarem sermonem pertinere dicitur (ἰδιωτικῶc λεγόμενον). Κόκκοc apud Herodotum (4, 143) est nucleus mali Punici *(Granatapfel):* tum apud medicos variorum fructuum grana κόκκοι appellari solent. Sic etiam hoc loco alicuius fruticis granulum intellegendum est, quo minimi ponderis loco utebantur. In fragmento Περὶ μέτρων (§ 86 extr.) κόκκοι piperis tamquam minimum pondus afferuntur.

γράμματα	3	habet	δραχμή,	288	libra
δραχμὰς	1⅓	—	δηνάριον,	96	—
δηνάρια sive					
στάγια	1⅓	—	ἀσσάριον,	72	—
ἀσσάρια	2	—	στατήρ,	48	—
στατῆρας	2	—	οὐγγία,	24	—
οὐγγίας	2	—	δλκή,	12	—
δλκὰς	6	—	λίτρα sive libra.		

Reperiuntur hic nova quaedam pondera, δλκή, στατήρ, ἀσσάριον, δηνάριον sive στάγιον. De holce, quae sexta librae pars esse dicitur, supersedeo quaerere. Nullum uspiam praeterea tale pondus commemoratur, sed cum δλκή per se quodvis pondus significet, nihil obstat quin etiam sexta librae pars alicubi ita appellata sit.

Ἀσσάριον, quod quarta unciae parte aestimatur, est ex eo nummorum aeneorum genere qui inde ab anno XV a. Chr. n. Romae a senatu signabantur[2]). Tum enim primum sestertius ex aere unciae pondere, dupondius semunciae factus est. De assis pondere dubitaverunt, num id quarta pars unciae fuerit[3]), sed ex hoc quidem loco colligitur ἀσσάριον posteriore aetate tanti aestimatum esse.

Qui post ἀσσάριον στατήρ affertur, eum, quoniam cum asse coniunctus sit, pro dupondio habere possis. At in tabula Cleopatrae (X, 15) praeter staterem διπούντιον sive dupondius commemoratur; vides igitur, etsi pondus idem sit, diversos tamen nummos significari. Accedunt aliae caussae gravissimae, quibus hunc στατῆρα Aegyptium tetradrachmum fuisse confirmatur. Sed de his infra dicemus (§ 72).

De denario quod στάγιον *vocatur reliquisque ponderibus.*

Porro maxime mirum videtur, quod praeter δραχμήν diversum pondus, δηνάριον, affertur, cum proprie δραχμή ipsum Romani denarii nomen fuerit. Hoc recte expli- 58

2) V. Borghesium in Cavedon. Numism. bibl. p. 118 ss., Mommsen. p. 761 ss.
3) V. Mommsen. p. 765 adn. 85.

cari nequit nisi ex ea rei nummariae ratione quae a Constantino imperatore instituta est; rursus igitur ad saeculum quartum et posteriorem aetatem deducimur. Omnes autem qui his rebus student magnopere ego oro et obtestor, ut et quae nova a me hic afferuntur diligenter exquirant, et, si quid ipsi rectius invenerint, id publice proponant, quo tandem aliquando tenebrae illis rebus offusae expellantur.

Constantinus cum rem nummariam fraude et furto priorum imperatorum paene ad exitium prolapsam ita restitueret, ut omnes rationes ad auri puri libram revocaret, nummorum pondus et aureorum et argenteorum voluit idem esse atque olim antiquissimi denarii. Nam et LXXII aureos sive solidos et totidem argenteos sive miliarensia e singulis libris fieri iussit[1]). Huius igitur ponderis ut summum ad omnem rem nummariam fuit momentum, ita id ipsum suo nomine non caruit. Etenim dictum est exagium sive ἐξάγιον, h. e. pondus exactum, idque vulgo mutilatum est in στάγιον[2]). Idem autem etiam δηνάριον appellatum esse cum aliis ex locis (fr. 58, 20. 77, 7. 15) tum ex hac tabula perspicimus. Hic primum commemorandum est denarios, nummos argenteos, illo tempore non in usu fuisse. Nam ipsum denarii nomen, siquidem moneta intellegebatur, abierat in minutissimi nummuli significationem; pondus autem quod olim denarii fuerat drachmae vocabulo designabatur. Itaque facile fieri potuit, ut pondus aurei et argentei nummi, quoniam restitutum esset ad antiquissimi denarii normam, ipsum δηνάριον vocaretur. Certe et in hac tabula et in posterioribus ita nuncupatur, neque equidem despero alios etiam locos apud scriptores illius aetatis inventum iri, ubi idem denarii pondus deprehendatur.

---

1) V. Mommsen. p. 779. 787. 790, vel Metrol. p. 245 —49.

2) V. tab. Oribas. (fr. 67, 14. 15): ἡ οὐγγία ἔχει στάγια ϛ'. τὸ στάγιον ἔχει ἐξάγιον α'. Conf. Du-Cangium s. ἐξάγιον et in Gloss. med. Lat. s. *exagima*, eosque qui illic citantur. Optandum autem est, ut tota haec quaestio ab aliquo omnibus locis collectis et illustratis plane absolvatur.

Extrema ponderum tabula, quam totius tabulae primam partem esse diximus, tria minarum genera definiuntur. Hic primum sesquilibra tribuitur Italicae cuidam minae, de qua infra exponemus (§ 61). Tum ad verba ἡ δὲ Ἀττικὴ στάγια τρία e prioribus addendum est λίτραν μίαν[3]). Nam libra una cum tribus stagiis ex ipsa huius tabulae ratione facit uncias XII S, quae solvuntur in denarios Neronianos sive drachmas C, et cum Attica drachma cum denario aequipararetur, exstitit haec Atticae minae definitio, de qua infra paullo uberius dicemus (§ 67). Item de Ptolemaica mina sesquilibrali mox suo loco disputabitur (§ 65).

Reliqua deinceps de mensuris secundae tabulae.

In secunda huius tabulae parte mensurae liquidorum 59
ita exhibentur, ut primum minima mensura, quae κοχλιάριον vocatur, unius et dimidii denarii sive stagii pondere definiatur, tum reliquae mensurae perinde ac modo pondera cum minoribus quibusque comparentur.

Omnino hic peculiaris quaedam mensurarum ratio deprehenditur, quod quo facilius perspiciatur, compares, quaeso, hanc tabulam cum ea quam supra proposui (§ 52):

κοτύλη, τρυβλίον . . .	1			
ὀξύβαφον, μέγα μύστρον	2	1		
κύαθος	6	3	1	
μικρὸν μύστρον . . .	24	12	4	1
κοχλιάριον	48	24	8	2.

Quid in hac praeter cyathum simile est alteri tabulae? At exstat alia eius generis tabula quae Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν ἱππιατρικῶν inscribitur (infra § 79), ubi plane eodem modo minores mensurae definiuntur. Qua quidem collata hic nonnulla aut emendari aut illustrari potuerunt. Primum in cochlearis pondere correxi δηνάριον ἤτοι στάγιον ἓν ἥμισυ, quod quemadmodum accipiendum sit, posthac explicabitur[1]). Tum σίκλον apparet perperam inter

3) Haec est luculenta Christii coniectura l. c. p. 55.
1) Ex ratione huius tabulae amphora Romana habet cochlearia 4608; eidem autem conveniunt stagia 5760;

mensuras receptum esse, cum omnes reliqui auctores id nummi genus esse recte tradant[2]). Denique merito in eo offendimus quod tertia huius tabulae pars incipit verbis: δεῖ γινώςκειν ὡς οἱ ἐνταῦθα καταγεγραμμένοι σταθμοὶ ἐπὶ τῶν ὑγρῶν μέτρων, ἐπὶ τοῦ οἴνου καὶ τοῦ ὕδατος ςυνετέθηςαν. Quid? ubinam inveniuntur οἱ ἐνταῦθα καταγεγραμμένοι σταθμοί? Nisi forte una cochlearis ponderatio cuipiam satisfacit. Immo manifesto perspicitur non genuinam tabulae formam in hac secunda parte servatam esse, sed eum locum olim similiter scriptum fuisse atque in tabula hippiatrica.

Tertiae partis argumentum hoc est, ut vini aquaeve et olei et mellis pondera inter se comparentur. Similis igitur haec est expositio ei de qua supra diximus (§ 55), sed in ipsa ponderum ratione maximum discrimen deprehenditur. Nam hic initium fit a vase aliquo quod unam olei libram sive LXXII stagia capiat, atque idem vas aquae vel vini stagia LXXVIII, mellis XCIII S[3]) pendere dicitur. Est igitur ratio

	olei ad	vinum ad	mel
	72	78	$93^1/_2$
sive	12	13	$15^7/_{12}$ (vel $15^1/_2$)

Atqui secundum primam tabulam (fr. 54, 14) eorundem est ratio

---

ergo cochlear pendit stagia 1½. Nec tamen ego, cum ἥμιςυ in libris scriptum inveniatur, α′ δ″ emendari posse, sed potius ἓν ἥμιςυ restituendum esse existimavi. Quod qua de causa fecerim, infra exponam (§ 79).

2) V. prol. § 72 extr. Apparet scriptorem huius tabulae in eo libro unde haec petivit invenisse: τὸ ςίκλον ἔχει ςτάγια τρία (v. cap. VIII, 17). Iam cum μύςτρον quoque tria stagia habere legeret, ea ita inter se confudit, ut ςίκλον mensuram aequalem mystro esse opinaretur. Ineptissime id quidem: ceteroquin hoc ipso loco emendatio nostra ςτάγιὸν ἓν ἥμιςυ (adn. 1) mirifice confirmatur, nam ita tantummodo μικρὸν μύςτρον cum siclo confundi potuit, si cochlear, dimidia mystri pars, habuit stagia 1½.

3) Vulgo editum est εἴκοςι ἐννέα, quod nihil esse apparet. Ego coniectura correxi Ϙγ′S, quoniam 78 + 15½ faciunt 93½.

9 10 $13^1/_2$

quae ut cum illis comparari possint, mutanda sunt in

12 $13^1/_3$ 18.

Videmus igitur olei ad vinum eandem fere in utraque tabula rationem esse, at in mellis pondere non exiguum discrimen observari. Quid vero? etiam Oribasium aliud mellis pondus statuisse supra vidimus (§ 52 extr.), idemque tradit auctor tabulae Dioscorideae (§ 81). Triplici igitur modo mellis pondus definitur, siquidem sextario mellis tribuuntur

ab Oribasio et in tab. Dioscoridea	30 unciae
in prima expositione	27 „
in hac secunda tabula	$23^3/_8$ „

Denique ut in prima expositione quarto loco (cap. V) de mensuris frumentariis agitur, ita quartae etiam huius tabulae partis idem est argumentum (23—26). Verba autem quae inter tertiam et quartam partem interposita sunt: ἡ μεγάλη κοτύλη ἴση τῷ ὀξυβάφῳ et plane aliena ab hoc loco et ipsa per se absurda sunt, quoniam magna quae dicitur cotyle dimidiae vulgari cotylae aequalis esse non potest.

Choenix trium cotylarum Aegyptia mensura est, de qua vide infra (§ 73).

'Αμφορεύς cui XXXVI sextarii tribuuntur et metretes LXXII medimnusque CII sextariorum inter georgicas mensuras referendi sint, de quibus posthac exponemus (§ 77).

Metretes qui κατὰ Σύρους dicitur est Antiochensis (§ 74).

Omnino hanc quartam particulam ex eodem fonte derivatam esse apparet unde auctor tabulae Cleopatranae de choenice reliquisque mensuris exposuit (§ 76 extr.). Quapropter dubitari nequit, quin, si minus tota tabula secunda, at haec extrema eius pars ex Aegypto originem ducat.

De tertia tabula mensurarum et ponderum (cap. VIII).

De tabula tertia, sive Oribasiana prima (§ 48), accura- 60
tior quaestio in aliam opportunitatem aliudque otium differenda videtur, quoniam non eos nos esse arbitramur qui omnia uno tempore cum fructu aliquo exsequi possimus.

Nunc enim id agimus, ut ex iis quae adhuc obscura fuerunt gravissima quaeque eaque sana et a bonis auctoribus tradita, quantum in nobis est, illustremus; nec vero nunc eadem manu abiectissima quaeque tractare volumus. Sane aliquam huius tabulae explicationem componere poteramus; sed cum de plurimis rebus dubitatio relinquenda esset, quid tandem iuvabat frustra tantam operam impendere? Sed unum, quod nostrum sit, non supersedemus facere, ut totius tabulae argumentum enarremus quodammodo eiusque quasi elementa secernamus.

Confusa sunt mirum in modum et pondera et mensurae. Nam promiscue et ponderum mutuae inter se rationes definiuntur et mensurae ponderibus exiguntur. Quae nos ita in conspectum producemus, ut singula in certum ordinem redacta cum reliquis tabulis comparemus.

Pondera sunt mina sesquilibralis (10, v. prol. § 61. 65), mina sedecim unciarum (6, v. prol. § 51), libra Romana (7), uncia sex stagiorum (14 = VII, 8), στατήρ trium stagiorum (15 = VII, 7), cίκλον eiusdem ponderis (17 = XII, 13), δηνάριον aequale stagio (20 = VII, 6), κεράτιον stagii pars XXIV (25 = VII, 1 ss.), cιτάριον siliquae pars quarta (26 = III, 8). Ita cum scriptor tabulae ad minimum pondus pervenit, his nonnulla adiungit quae aliunde petivisse videtur: drachmam et ὁλκήν XVIII siliquarum (27. 28 = III, 5), γράμμα VI siliquarum (30 = III, 6 al.), obolum trium siliquarum (31 = III, 7 al.), denique θέρμην unius et dimidiae siliquae (32; aliter X, 10). Omnino igitur hanc ponderum descriptionem variis e libris tabulisque medicorum compilatam esse apparet. Propria huius tabulae est θέρμη, pro qua et Oribasiana (67, 33) et aliae habent θέρμος; insolitum cίκλον aequale stateri (infra § 68. 72).

Inter mensuras primo medimno duodequinquaginta librae tribuuntur. Quid hoc? num sunt librae frumenti? At vero modius, sexta medimni pars, secundum Plinium viginti fere libras habet (§ 25 adn. 6). Haec quomodo consocianda sint, videant alii: ego in tenebris, ut aiunt, quaerere nolo. Nec de reliquis mensuris nunc libet disputare; sed quidquid ex his memoratu dignum videbitur, posthac,

cum ad decimam tabulam pervenerimus, afferemus (§ 82 adn. 1).

De mina Italica sesquilibrali.

Quarta ponderum et mensurarum tabula (sive Charte- 61
rianum caput IX) duas habet partes, quarum in priore de ponderibus eodem fere modo quo in prima expositione (cap. III) agitur.

Hic primum disputandum est de mina illa Italica sesquilibrali, cuius iam bis in superioribus facta est mentio (cap. VII, 11. VIII, 10). Ea sic definitur: ἡ μνᾶ πρὸς τὸ Ἰταλικὸν ἔχει δραχμὰς ρμδʹ, et porro: ὥστε τὴν Ἰταλικὴν μνᾶν εἶναι λι αʹ ἡμίσειαν. Item scriptor tabulae Dioscorideae (XIV, 8): ἡ μνᾶ — κατὰ τὴν Ἰταλικὴν (χρῆσιν ἔχει) Γ° ιηʹ, τουτέστι λίτραν μίαν ἡμίσειαν, < δὲ ρμδʹ. Iam primum recordemur Atticam minam fuisse XVI unciarum, tum Romanam illam, quae e centumpondio facta est, habuisse uncias XX (supra § 51 extr.): iam hoc loco tertia quaedam additur, quae, cum XVIII unciarum sit, ipsum medium locum inter Atticam et Romanam obtinet. Quid? tantamne minarum varietatem in Romano imperio fuisse? Immo etiam multo plures minae fuerunt. Sed hic de iis tantum dicendum quibus in Italia utebantur. Ingens ponderum Italicorum multitudo ad nostra tempora servata est, quo e numero ducenta fere Boeckhius in uno conspectu proposuit[1]). Ex his pleraque ad ipsam Romanam libram exacta esse et per se consentaneum est et calculis subductis facile apparet. Sed dubitari non potest, quin etiam minarum pondera in illa multitudine reperiantur. Ut duo Herculanensia pondera a Bayardo descripta ad ipsam Atticam minam exacta sunt[2]), quae ego pharmaceutica pondera fuisse existimo. Sunt vero etiam alia, unde maior mina cognoscatur. De quibus priusquam singillatim dicam,

---

1) P. 170—188.

2) Afferuntur haec pondera a Boeckhio p. 183 extr. Alterum pendit gramm. 424, alterum 452. Fac medium ex duobus: habes gramm. 438, h. e. ipsum Atticae minae sive XVI unciarum pondus.

primum summam sententiae meae expromam. Cum Graecae Italiae civitates aliae aliis ponderibus in commercio uterentur, has Romani non aboleverunt, sed tamen ita paullum immutarunt, ut eas certo unciarum numero ex sua libra definirent. Sic praeter Atticam minam XVI unciarum, qua medici maxime utebantur (§ 81), aliam pro usu civitatum minam faciebant XVIII unciarum, tum rursus alio ex usu tertiam eamque maiorem minam XX unciarum; quin etiam minam quandam Herculanensem fuisse XXVI unciarum sive librarum II et sextantis compertum habemus[3]). Haec non solum locorum, sed etiam temporum discriminibus distinguenda esse videntur. Maxime mina XX unciarum, quae e centumpondio Romano facta est, in Italia quidem posteriore demum aetate pervulgata esse videtur, quamquam in Asia et Aegypto simile quoddam pondus antiquitus in usu fuit (§ 66). Mina autem sesquilibralis, siquidem vera est nostra suspitio de Herculanensibus ponderibus, iam sub primis imperatoribus reperitur eademque et multo antea in usu fuisse videtur[4]) et porro ad quartum usque saeculum permansit[5]).

Verum tamen restat, ut ex ipsis ponderibus adhuc servatis mina sesquilibralis demonstretur. Est marmoreum pondus non prorsus integrum, a Montfaucono descriptum[6]), quod non tam centumpondium Romanum quam minae ses-

---

3) Est talentum Herculanense (apud Boeckh. p. 182) pondere gramm. fere 42700, unde fit mina gramm. 712 sive unciarum XXVI. Quae num cognata sit illi minae de qua infra (§ 68) exponetur, non meum est hoc loco exquirere.

4) Non possum hoc loco historiam quandam ponderum scribere. Sed, si quid video, illa mina, quam Romani cum in Italiae quibusdam civitatibus invenirent, suae sesquilibrae aequiperaverunt, est antiquissimum omnium pondus ex Aegypto ad Phoenices, porro ad Babylonios, Assyrios, Persas translatum, idemque etiam occidentem versus propagatum. Confer infra § 65.

5) Q. Junius Rusticus, praefectus urbi, cuius nomen duobus ex his ponderibus inscriptum est, eum magistratum gessit a. p. Chr. 345. V. Corsinium de praefectis urbis (Pisis 1766) p. 205.

6) V. Boeckh. p. 174.

quilibralis talentum esse videtur[7]. Eadem vero mina etiam ex aliis ponderibus cognoscitur. In museo Britannico servatur pondus nomine Q. Iunii Rustici inscriptum, quod cum sex Romanas libras habere videretur, a nemine adhuc explicari potuit[8]. Nam plurima I, II, V, X librarum pondera, at nulla VI librarum inveniri solent. At vero sunt illae VI librae Romanae, eaedem autem IV minae Italicae sesquilibrales[9]. Qua de re ne ulla dubitatio relinquatur, his accedit duplum eiusdem generis pondus, quod duo lapides Herculanenses exhibent. Namque hi duodenas libras sive octonas minas pendunt[10]. Item denique alia pondera, quorum unum ex eiusdem Q. Iunii Rustici auctoritate factum est, et duas minas et tres libras significare videntur[11].

De reliquis tabulae IV (cap. IX) ponderibus.

Longiore hac disputatione interiecta iam ad propositum licet reverti. Ipsa mina sesquilibralis a scriptore tabulae 62

---

7) Pendit illud marmor libr. Paris. 59 sive gramm. 28900, unde fit mina gramm. 482 sive unciarum fere 17⅔. Cum marmor non integrum sit, habes hic ipsum minae sesquilibralis pondus.

8) V. Boeckh. p. 183.

9) Pendit lapis gramm. 1822,6, quorum quarta pars sunt gramm. 455,6 sive unciae fere 17. Iam forsitan quis has esse Atticas minas dicat paullo ultra iustum modum exaggeratas. Minime vero. Nam Atticae minae quattuor faciunt libras 5⅓, quo pondere nulla certe civitas Italiae sub Romanorum imperio usa est. Immo id lapideum pondus necesse est et in minas et in libras facile solvi possit. Ne multa, sunt VI librae Romanae sive quattuor minae sesquilibrales; ipsum autem lapidis pondus paullo levius est.

10) Sunt apud Bayardum num. 190 et 191 (v. Boeckh. p. 183), penduntque singuli gramm. 3731, unde fit duodecima pars gramm. 311, quae est libra Romana; octava autem pars sive gramm. 466,5 sesquilibralem fere minam faciunt.

11) V. Boeckh. p. 172 extr. et 174 init. Ne quis tamen omnia Iunii Rustici pondera huc pertinere existimet. Qui cum praefectus urbi esset, profecto etiam pondera proprie Romana ex sua auctoritate facienda curavit, qualia exstant in Boeckhii tabula p. 172. 175 al.

explicatur his verbis: ἡ μνᾶ πρὸς τὸ Ἰταλικὸν ἔχει δραχμὰς ρμδ′, πρὸς δὲ τὸ Ἀττικὸν δραχμὰς ρκβ′· ὥστε τὴν Ἰταλικὴν μνᾶν εἶναι λ¹ α′ ἡμίσειαν, τὴν δὲ Ἀττικὴν (vel πρὸς δὲ τὴν Ἀττικὴν) λ¹ α′ ℱ γ′ δραχμὰς δ′. Quibuscum primum comparemus similem locum tabulae Dioscorideae (XIV, 8): ἡ μνᾶ· κατὰ μὲν τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν ἄγει ℱ ις′, τουτέστιν ὁλκὰς ρκη′· κατὰ δὲ τὴν Ἰταλικὴν ℱ ιη′, τουτέστι λίτραν μίαν ἡμίσειαν, < δὲ ρμδ′. Similes esse dixi duos locos, minime tamen aequales. Primum enim numeri differunt in mina Attica sive medicinali, quae in priore tabula vel CXXIV drachmas (tot enim sunt λ¹ α′ ℱ γ′ δρ. δ′) vel CXXII, contra in Dioscoridea CXXVIII habere dicatur. Tum accuratius si priorem locum inspicimus, apparet non tam de duabus diversis minis, ut in tabula Dioscoridea, quam de una mina sesquilibrali agi, quae et Atticis et Italicis drachmis definiatur. Quid? quod ibidem (2) uncia Atticis drachmis VII, Italicis VIII exprimitur? certe uncia nulla est nisi una Romana. Cum igitur legamus minam, sesquilibralem scilicet, πρὸς τὸ Ἀττικὸν habere drachmas CXXII, ex ea ipsa ratione pondus Atticae drachmae efficiendum est; efficitur autem numerus qui quam proxime accedat ad recentiora tetradrachma Attica[1]). Verum tamen minime in hac ratione satis probabili licet acquiescere. Etenim cum ab eodem scriptore uncia παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς drachmas VII habere dicatur, aut hic ipse numerus minus accurate se habet, aut antea pro ρκβ′ scribendum est ρκς′[2]). Quod nos in medio relinquimus, quamquam magis in id inclinamus, ut ρκβ′ verum, ζ′ autem rotundum, ut aiunt, numerum esse existimemus. Utique autem aliena sunt a genuina tabulae forma verba τὴν δὲ Ἀττικὴν λ¹ α′ ℱ γ′ δραχμὰς δ′, nam nec ullam Atticam minam ipse scriptor afferre voluit, nec summa

1) Mina sesquilibralis habet gramm. 491,2, cuius pars 122ª sunt gramm. 4,03, quod pondus fere congruit cum tetradrachmis Atticis gramm. 16, 5 post Alexandrum signatis (Metrol. p. 161).

2) Cum unciae 7 drachmae Atticae tribuantur, in minam sesquilibralem incurrunt duodevicies septem drachmae = 126.

drachmarum (124) aut cum vera Attica mina (128) aut cum priore numero (122) convenit. Haec igitur uncis inclusimus. Denique non praetermittendum est ipsam minam sesquilibralem de qua in hac tabula agitur ad Aegyptum terram Aegyptiumque scriptorem referendam videri (§ 65).

Porro ad vulgarem rationem drachma et uncia scripulis, libra unciis definiuntur.

Haec est ponderum tabulae ea pars quae e vetustiore quodam fonte (saeculi fere I p. Chr. n.) derivata esse videtur. Quibus recentiora quaedam postea addita sunt. Primum δίδραχμα, quae ipsa est forma adulterina, ὁλκάς II habere dicitur, quae vox cum a vetustiore tabulae parte aliena sit, nunc demum explicatur: τὴν δὲ ὁλκὴν συνωνύμως καὶ δραχμὴν λέγουσιν. Tum γράμμα eodem modo quo in vetustissima tabula (fr. 28, 2) definitur; sed id absurde in hanc tabulam illatum est, quoniam illic sexta pars unciae, hic octava denarium facit (§ 41 extr.). Denique non minus falso VI chalci tribuuntur obolo (§ 98). Hoc etiam merito mireris, quod scriptor tabulae chalcum, non siliquam, minimi ponderis loco attulerit. Quamquam non prorsus omisit siliquae mentionem breviter in fine addens: ὁ δὲ χαλκοῦς καὶ τὸ κεράτιον παντὸς γράμματός ἐστι σμικρότατον.

De mensuris quartae tabulae.

De mensuris quae in eadem tabula afferuntur longa et 68
copiosa disputatio institui possit, si quis omnia quae hic traduntur recte tradi existimet. Ego vero, cum in nonnullis tabulae scriptor erroris convincatur, ne cetera quidem quae insolita afferuntur suspitione vacare censeo. Quod ita facillime me demonstrare posse spero, ut argumentum tabulae breviter et summatim proponam.

Initium fit a medimno, cui recte XII ἡμίεκτα, XLVIII choenices, et ἡμιέκτῳ IV choenices, tribuuntur. Hae sunt Atticae mensurae frumentariae. Praeterea autem inter ipsas frumentarias mensuras χοῦς quidam affertur, qui II choenices, VIII sextarios habeat. At vero Atticus χοῦς habet choenices III, sextarios VI. Deprehendere hic mihi

videor congium Ptolemaicum, qui fuit medimni Ptolemaici pars XXIV (infra § 73). Sic in hac quoque tabula: τὸ ἡμίεκτον χόας β'. Cetera autem perverse. Nam Ptolemaicus congius IV choenices habuit; huic autem congio II choenices tribuuntur. Quid multa? et haec perturbata sunt et ea quae de sextariis adduntur. Nam cum choenix IV sextarios, medimnus CXCII sextarios habere dicatur, non sextarii, sed cotylae intellegendae sunt. Taceo cetera: satis est commemorare omnino in hac tabula Atticarum et Aegyptiarum mensurarum rationes misere inter se confusas esse.

Sequitur altera pars tabulae inde a verbis καὶ διὰ τούτων οἱ πλεῖστοι τῶν Ἑλλήνων μετροῦσι· παρὰ δὲ τοῖς Ἰταλικοῖς cet. Eae igitur mensurae de quibus antea expositum est vulgares Graecorum esse dicuntur: his iam additur Romanus congius, cuius pondus eadem ratione atque in vetustissima tabula (fr. 28, 8, prol. § 43) definitur. Item de sextarii et cotylae mensura vide quae supra suis quaeque locis scripsimus (§ 42. 43).

Inculcata est autem in mediam expositionem alius cuiusdam choenicis mensura atque inepta Atticae vocis τρυβλίου interpretatio[1]).

De tabula Cleopatrae (cap. X).

64 Caput X inscriptum est Ἐκ τῶν Κλεοπάτρας κοσμητικῶν περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων. Quaenam Cleopatra

1) Video equidem hanc choenicis mensuram aliquo modo cum priore tabulae parte componi posse. Quod sic illustrare conabor, ut ad Graeca verba meam interpretationem statim adscribam: ὁ μέδιμνος (Ptolemaicus 144 sextariorum) ἔχει ἡμίεκτα ιβ' (singula 12 sextariorum). τὸ δὲ ἡμίεκτον χόας μὲν β' (singulos 6 sextariorum) χοίνικας δὲ δ': hae nimirum non sunt eae choenices Aegyptiae quae vulgo dicuntur, quas ipse scriptor tabulae postea (§ 13) tres cotylas habere dicit, sed sunt choenices aliae quaedam, altero tanto maiores, h. e. illae quas ibidem (§ 16) explicat: ὁ δὲ χοῖνιξ ἔχει ξε γ', κοτύλας ς'. Denique ὁ δὲ χοῦς χοίνικας β' (scilicet maiores sive duplas). Verum tamen, quamvis haec ita expli-

talem librum scripsisse putanda est? Nulla omnino: sed quisquis Κοϲμητικά illa composuit, quo maior libello suo auctoritas tribueretur, inscripsit eum Cleopatrae, Aegyptiorum reginae, nomine. Cuius ut insignis pulchritudinis et elegantissimi cultus fama apud omnes celebrabatur, ita aptissima visa est cui praecepta cum de alio ornatu muliebri tum de unguentis parandis tribuerentur. Itaque in illo Κοϲμητικῶν libro etiam de ponderibus et mensuris expositum est. Hinc ea quae sub manibus est tabula excerpta esse dicitur.

Ad Aegyptum originem tabulae revocandam esse ipso Cleopatrae nomine significatur. Verum aliis etiam certioribus vestigiis idem probatur. Nam et in ponderibus et in mensuris multa ad Aegyptias rationes pertinent. Quapropter, priusquam ipsa tabula explicari possit, nonnulla in universum de eo argumento praemitti necesse est.

De antiquissima mina Aegyptia, quae in his tabulis Πτολεμαϊκή *vocatur.*

Initio tabulae tres minae describuntur, e quibus tertia 65
Πτολεμαϊκή vocatur eique XVIII unciae tribuuntur. Eadem Ptolemaicae minae definitio etiam in duabus aliis tabulis (VII, 11. XI, 1) reperitur. Iam quaeritur, quale id pondus atque unde ortum esse videatur. Ut autem a certis ordiamur, ex uncia Romana calculos subducamus. Efficitur inde minae pondus, quod quin antiquae Assyriae minae cognatum sit mihi quidem non dubium videtur[1]). Hic Assyriam sive Babyloniam illam minam dico, cuius exactum pondus ex aeneis leonibus marmoreisque anatibus Nini Assyriae in urbe nuper inventis exploratum est[2]). Quod quanti mo-

---

centur, manent gravissimi scriptoris errores: ὁ χοῦϲ ξ^ε η', ὡϲ ἔχειν τὸν μέδιμνον — ξ^ε ρϛβ', et ὁ δὲ χοῖνιξ κοτύλαϲ γ' (cum antea duplam choenicem intellexerit).

1) Unciae Romanae 18 faciunt gramm. 491, mina autem Babylonia habet gramm. 510. Interest sane aliquantulum, sed plurimis de caussis, quas hic in medium proferre non possum, haec duo pondera inter se cognata esse probatur. Unum quod huc pertineat leges adn. 4 extr.

2) Inventa sunt haec pondera in ruinis Nini a Layar-

menti sit ad omnem ponderum historiam cognoscendam, dicere vix possum, neque in praesentia res iam eo usque exquisita et illustrata est, ut breviter de eo argumento dicere liceat. Sed hoc meo me iure suspicari posse videor, quae mina Assyria et Babylonia et Persica fuerit, eandem fuisse Aegyptiam, nec vero a Persis eam in Aegyptum translatam esse, sed contra antiquitus Aegyptiorum propriam fuisse atque ex Aegypto ad Asiae gentes et regna traductam esse. Quam minam cum Ptolemaei in Aegypto invenirent, eam non magis quam regium cubitum aut artabam aboleverunt, sed nihil nisi huius antiquae popularisque minae certam rationem ad nummaria pondera definiverunt. Fuit igitur in Aegypto perinde atque Athenis ex Solonis temporibus aliud nummarium, aliud mercatorium et populare pondus. Atque Athenis quidem quae ratio inter nummaria et mercatoria pondera intercesserit, accurate cognitum habemus[3]: de Aegypto nondum exploratum est, nec tamen ego despero futurum esse ut quando ea ratio indagetur[4].

---

do, descripta a Norrisio. Tum de iis exposuit Queipo I p. 334—350. Nonnulla ad idem argumentum ego attuli in Fleckeiseni Annal. philol. a. 1862 p. 387 ss. Unde, quae ponderum vel Assyriorum vel Babyloniorum quasi norma fuerit, iam dubitari non potest. Nempe maiori minae tribuenda sunt gramm. 1020, minori sive dimidiae gramm. 510. Porro quae ex iisdem ponderibus ad omnem veterum rem nummariam concludenda sint, adhuc, ut aiunt, sub iudice lis est: tamen, si quid video, verum inveni non ego (l. c.), sed Mommsenus, qui paullo post de ea re quaedam breviter tradidit (v. *Grenzboten, Zeitschrift für Polit. u. Lit.* 1863 p. 395 ss.).

3) V. Metrol. p. 108. 138—40.

4) Duabus diversis rationibus ego ad eandem suspitionem deductus sum, minam antiquam a Ptolemaeis definitam esse 135 drachmis Ptolemaicis nummariis. Quae etsi praepropere et re nondum satis ab omnibus partibus expensa eloqui vereor, tamen, ut alii habeant quibus aut assentiantur aut refragentur, nunc, quibus fundamentis mea nitatur coniectura, in medio proponam. Prior ratio haec est: Esto A maior mina Assyria. Ex hac Mommseni iudicio facti sunt argentei stateres 90. Huius stateris pars tertia fuit Ptolemaica drachma. Denique haec

De mina Alexandrina.

Antiquissima igitur et popularis Aegyptiorum mina a 66
Ptolemaeis servata atque exinde Ptolemaica appellata est. Sed apud alios auctores non spernendos etiam mina quaedam Alexandrina invenitur, quae cum XX unciarum esse dicatur, minime cum priore confundi et misceri debet. Galeni locos supra exhibuimus (§ 46), quibus accedit tabula Dioscoridea (prol. § 81). Praeterea in vetustissima tabula ponderum (fr. 28, 6) legimus: ἡ δὲ Ἀλεξανδρινὴ μνᾶ ἄγει ὁλκὰς ρν', ἀλλαχοῦ ρνη'. Quid? possuntne haec testimonia inter se coniungi? Possunt vero facillime, dummodo unum, quod consentaneum est, concedatur, huius Alexandrinae minae pondus ad Ptolemaicam drachmam revocandum esse[1]). Ptolemaei reges quo genere nummorum usi sint, satis constat[2]). Nam cum reliqui, qui post Alexandri mortem reges facti sunt, nummos ad Atticum pondus exprimere pergerent, Ptolemaeus, Lagi filius, diversum nummorum pondus, quod maxime in Phoenicum civitatibus

---

altera mina de qua agimus fuit dimidia pars maioris Assyriae minae. Haec igitur est aequatio

$$\frac{A}{2} = \frac{A\,x}{90 \times 3}$$

unde fit $x = 270 : 2 = 135$. Tot igitur drachmae conveniunt minae Ptolemaicae mercatoriae. — Altera ratio pendet ex iis quae de mina Alexandrina et de ponderis Attici ac Ptolemaici ratione suspicor (§ 66). Mina Ptolemaeorum mercatoria, quoniam a Romanis cum 18 unciis aequiperata est, Atticam minam habuit $1\frac{1}{8}$ sive Atticas drachmas $112\frac{1}{2}$. Iam sumpta Atticae drachmae ratione ad Ptolemaicam 6 : 5 (§ 66 adn. 3) efficiuntur drachmae Ptolemaicae 135. Rursus igitur idem habes mercatoriae minae pondus. Quae rationes si verae sunt, non id quidem sequitur, ut hoc proprium antiquae minae Aegyptiae pondus fuerit, sed tantummodo, ut Ptolemaei hanc mercatoriae minae ad drachmas nummarias legitimam rationem esse iusserint.

1) Ut saepe fieri solet, facillima quaeque diu non inveniuntur. Sed tamen postquam mihi illud quod dixi in mentem venit, vidi iam Christium p. 85 s. de Ptolemaicis nummis in ea re explicanda cogitasse. Ceterum ego in his meam viam ingredi perrexi.

2) V. Mommsen. p. 40 s.

multisque Asiae minoris regionibus usitatum erat, secutus est. Quod qua de causa fecerit, hic non est disputandi locus: hoc autem quaeramus, nullane ratio Ptolemaici nummorum ponderis ad Atticum fuerit. Certe si rationes mensurarum et porrectarum et cubicarum a Ptolemaeis institutas comparamus, dubitari vix potest, quin nummarium etiam pondus ex Attica norma a Ptolemaeo I definitum sit. Age vero, Atticae drachmae V exactis calculis faciunt Ptolemaicas drachmas VI[3]: hanc habes simplicissimam et, ut mihi videtur, legitimam utriusque monetae rationem.

Iam satis constat hanc Ptolemaicam drachmam et in computandis nummis et in ponderationibus suam minam centenariam habuisse (§ 67); sed eam rem hoc loco non curo: illud potius quaero, Alexandrina mina quale pondus fuerit. Hic rursus nonnulla eaque gravissima nondum explanata sunt nec satis certis vestigiis insistimus; sed tamen, etsi demonstratio fieri non potest, temptanda est probabilis coniectura. Ptolemaica sive Tyria sive Asiatica drachma tertia pars fuit Asiatici illius stateris, cuius in pondus antiquitus omne argentum in Asia signatum est[4]. Ex eo statere primum centenaria ratione derivata est magna illa mina quam popularem Syrorum fuisse constat (§ 69), tum quinquagenaria ratione ex eodem orta est altera quaedam dimidio minor, quam Babyloniam Herodoto auctore vocare consuevimus[5]. Eadem autem est Alexandrina mina, de

3) Legitimum Atticae drachmae pondus est gramm. 4,366; haec quinquies ducta faciunt gramm. 21,83; horum sexta pars gr. 3,64: id legitimum pondus Ptolemaicae drachmae fuisse existimo. Idem, si vera est mea sententia, efficitur ex mina Alexandrina, quae cum 150 drachmas Ptolemaicas, Romano autem pondere 20 uncias habeat, fit drachma 3,64 gr. Quin etiam vetustissima Ptolemaicae drachmae aestimatio a Romanis facta plane idem prodit (v. § 71 adn. 3). Ad hoc legitimum quod statuo pondus ipsi Ptolemaici nummi proxime accedunt.

4) Mommsen p. 14—18 (Metrol. p. 269).

5) V. me eo loco quem § 65 adn. 2 citavi. Ne quis tamen hanc Herodoteam minam Babyloniam confundat cum illa quae ex ponderibus Nini inventis cognita est, hae

qua nunc agimus: hanc igitur drachmas Ptolemaicas CL habuisse necesse est.

Iam vide, quae meae sententiae, quatenus hic explicari potest, sit summa. Praeter antiquam minam, de qua supra diximus (§ 65), mercatorum frequentia etiam illam minam, quae ex Asiatico statere facta est, ab Aegyptiis receptam esse eamque maxime Alexandriae, in celebratissimo emporio, usitatam fuisse. Hinc Alexandrinam eam dictam esse. Pondus autem eius a Ptolemaeo primo ita definitum esse, ut aequaret drachmas Ptolemaicas CL, sive Atticas drachmas CXXV, sive Atticam minam unam et quadrantem[6]). Quod pondus postea Romanos tenuisse et cum suis XX unciis comparavisse.

Denique restat ut is locus quem initio e ponderum tabula attulimus explicetur. Iam apparet illas δραχμὰς ρν′ Ptolemaicas intellegi. Quid vero ἀλλαχοῦ ρνη′? Mihi non dubium est, quin hi sint Romani denarii eius ponderis quod post Neronem legitimum fuit[7]). Videtur igitur illo tempore legatus quidam, qui Aegypto praefuit, diligenter exacto librae Alexandrinae pondere edixisse, ne ea minus CLVIII denariis penderet. Quod quidem pondus, etsi duo denarii de summa XX unciarum desunt, tamen pro usu vulgari popularibusque rationibus satis accuratum fuit[8]).

---

duae sic inter se differunt: ex minore illa mina quam pondera Assyria ostendunt, facti sunt argentei Persici sive σίγλοι 90 (singuli gr. 5,6); tales autem argentei 100 fecerunt Babyloniam minam ab Herodoto commemoratam (conf. infra § 69 adn. 1).

6) Haec sunt gramm. 546. Item unciae 20 faciunt gr. 546.

7) Hic igitur locus post Neronem scriptus est, quod repugnare videtur cum nostra de aetate illius tabulae sententia (§ 40). Verum ita distinguendum videtur, summam tabulae totius ad aetatem ante Neronem pertinere, hunc autem locum postea additum esse. Nam unum quod relinquitur, totam tabulam post Neronem compositam esse, propterea statuere non licet, quia omnino ab eo denario qui est septima unciae pars ponderum et mensurarum fit aestimatio.

8) Denarii 158 Neroniani faciunt gramm. 539, quae

De propria Ptolemaeorum mina, quae postea Attica vocata est.

67 Adhuc in tabulis ponderum et mensurarum duas Aegyptias minas commemorari vidimus, quarum altera Ptolemaica appellatur, quod antiquissimum Aegyptiorum pondus fuisse suspicamur, altera Alexandrina, quae ex argenteo statere Asiatico deducta est habuitque Ptolemaicas drachmas CL. Age vero: nullane sua mina Ptolemaeos usos esse? quid, cum omni drachmae e Graecorum ratione suam minam centenariam convenisse necesse sit, illosne reges proprium drachmae pondus habuisse, minam non habuisse? Sed quid multa? exstant certissima eius quam dico minae documenta. Servantur Parisiis et Berolini complura Aegyptiorum pondera, ex quibus et ipsa Ptolemaica mina centenaria et variae eius partes a semisse ad drachmam dilucide cognoscantur[1]). Hinc iustam Ptolemaicam minam XIII uncias Romanas tantum non aequasse exploratum habemus.

Iam inter omnes et veteres auctores et eos qui nostra aetate de ponderibus scripserunt hoc constat, Atticam

---

admodum exiguo momento differunt a legitimo quod diximus Ptolemaeorum pondere (adn. 6).

1) Primus Saigey nonnulla ex his ponderibus protulit (*Métrologie* p. 53). Alia addidit Queipo, cuius e libro (I p. 188—193) ego hanc quae sequitur tabulam composui:

1	(Queipo p. 188): *caillou roulé à surface raboteuse, portant une inscription hiéroglyphique, Musée du Louvre,* pendit gramm.	352,16
2	(id p. 189): *petit poids, Musée du L.* n. 3113	176,75
3	(id p. 190): *poids en serpentine, marqué de trois points, Musée du L.* n. 3060	89,06
4	(Saigey p. 53): *poids en bronze,* ibidem . .	59,12
5	(id. ibid.): alterum ibidem	58,65
6	(Queipo p. 190): *petit poids en serpentine,* ibidem	29,48
7	(Saigey p. 53): *poids en bronze,* ibidem . . .	29,37
8	(Queipo p. 192, coll. p. 564): *cube d'un travail achevé, orné d'un filet d'argent incrusté sur toutes ses faces, et l'on voit sur l'une d'elles les charactères grecs gamma et alpha, c'est-à-dire 1 once,* ibidem	28,10
9	(id. p. 191): *petit poids en fer,* Berolini in museo Aegyptio	14,68
10	(id. p. 193): *poids en bronze, Musée du L.* n. 3031	14,23

drachmam a Romanis cum suo denario ita aequiperatam esse, ut et talentum Atticum VI milia denarium, non drachmarum, significaret et Graeci illorum temporum scriptores fere semper, ubi denarios intellegerent, δραχμάς dicerent. Omnino igitur in vulgaribus rationibus nullum inter haec discrimen faciebant[2]). Quibus autem in provinciis Romani imperatores edixerunt, ut Attica drachma denario aestimaretur, ibi ipsum denarium Atticae drachmae

---

11—13 (id. p. 189): *trois petits poids carrés, en bronze,* ibidem n. 3035. 3051. 3052, quae pendunt gr. 3,62. 3,57. 3,56.

Huic tabulae non dubito quin plurima ex aliis museis pondera addi possint; sed haec ipsa, quanti res momenti sit, declarant. Quod nunc pro rei gravitate satis explanare non possum. Sed tamen hoc commemoro nostrae tabulae pondera 1. 2. 9 exhibere ipsam minam Ptolemaicam eiusque semissem et semunciam. Exactum igitur eius minae pondus sub Romanis imperatoribus concludimus fuisse medium ex his = gr. 352,6, quae summa quam proxime cum drachma gr. 3,57 convenit, quod pondus Ptolemaei in signandis nummis secuti sunt (v. Mommsen. p. 40). Romano autem pondere eadem summa est unciarum 13 (tot enim unciae faciunt gr. 354,7). Cetera quae in hac tabula latent brevi oratione expediri non possunt. Tamen hoc certe manifestum esse videtur minam Ptolemaicam sub Romanorum imperio non in 100 drachmas, sed plane ad librae Romanae similitudinem divisam esse. Ergo, siquidem omnia haec pondera ad Romanam aetatem pertinent, pondus nostrae tabulae 3 habendum est pro quadrante sive tribus unciis, pondera 4 et 5 pro sextantibus; tum pondera 6. 7. 8 sunt unciae (ut expressis notis in pondere 8 scriptum exstat), 9 et 10 semunciae. Porro, si nostra ratio valet, semuncia habet 4 drachmas — et reperiuntur 4 puncta in pondere 9 (v. Queip. p. 191) — tota mina, quoniam librae instar dividitur, drachmas 96, non 100. Haec omnino satis probabilia sunt. Sed ne quis iam omnia inter se misceri posse existimet. Utique et mina Ptolemaica secernenda est a Romana libra et uncia Ptolemaica a Romana, quippe quae Romanum pondus aliquanto superent, et quae drachma ex unciali ratione pars 96ma Ptolemaicae minae fuit, ea diversa est non solum a Romano denario sed etiam a vetere Ptolemaica drachma, quae eiusdem minae pars fuit 100ma.

2) V. Metrol. p. 185 s.

locum, hoc est regiae Alexandreae, occupare voluerunt[3]). Porro cum Attici tetradrachmi pondus quaternos denarios manifesto exsuperaret eoque maiore argenti pretio tetradrachma essent, necessario factum est, ut ea loco mercis haberentur[4]). Minime vero haec Romanorum aestimatio ad exactum minae aut talenti Attici pondus pertinere potuit. Nam id nullum est pondus, quod ex nummis pretio imminutis suspensum sit. Quid, quod ipse denarius, cum primum Attica drachma a Romanis aestimata est, septima pars unciae, tum autem a Neronis temporibus octava fuit? Neutiquam ex incerto denarii pondere illud Attici talenti pondus repeti potest quod a scriptoribus aetatis imperatoriae saepius commemoratur. Nempe cum Attica drachma denario aequalis esse putaretur, denarius autem octava pars unciae esset, mina Attica habebat uncias XII S et talentum libras LXII S. At tamen verum Atticae minae pondus esse XVI unciarum ne illis quidem temporibus ignorabatur[5]). Ne multa, postquam Attica drachma cum denario aequiperata est, ipsum quidem Atticum pondus integrum mansit minimeque eius memoria oblitterata est; sed nomen Attici talenti Atticaeque minae post Neronem vulgo ad aliud pondus transferre coeperunt, P t o l e m a i c u m scilicet dico. Etenim cum Ptolemaicae drachmae pondus vix ab eo denario qui est octava pars unciae differret, mina Ptolemaica unciis XII S, talentum libris LXII S aestimata sunt. Haec igitur meae argumentationis est summa: Attici talenti pondus vulgari ratione non propterea ad libras LXII S redactum esse, quod Attica drachma denario aestimari solebat, sed Ptolemaicum istud talentum fuisse eique, quoniam et Ptolemaica et Attica drachma denario aequiperabatur, minus accurate Attici nomen impositum esse.

Restat ut illum Alexandrinum scriptorem, de quo infra disseremus (§ 99), gravissimum testem citemus. Qui ex-

---

3) V. Mommsen. p. 690 s.
4) Volus. Maec. distrib. § 45.
5) V. Galen. coll. cap. III, 1 (prol. § 51), IX, 1 (prol. § 62). Constat etiam Euboicum appellatum esse proprium Attici talenti pondus (v. Metrol. p. 143 adn. 11).

pressis verbis dicit (fr. 95, 2): τὸ Ἀττικὸν τάλαντον ἰϲοϲτάϲιον τῷ Πτολεμαϊκῷ καὶ Ἀντιοχικῷ καὶ ἰϲάριθμον ἐν πᾶϲι. Ptolemaicum igitur talentum quasi fundamentum subiicit eique Atticum aequale esse significat.

Denique ad id unde digressa est oratio mea revertitur. Fuit in Aegypto Ptolemaica mina C drachmarum Ptolemaicarum, quam intactam Romani reliquerunt, nisi quod unciali ratione, ut videtur, eam dividebant. Praeterea autem alia minus accurata minae et talenti aestimatio obtinuit, ex qua drachma cum denario aequiperata talentum ad libras LXII S redactum est, idque, sicut demonstravimus, Atticum appellatum.

De talento Tyrio, Antiochensi, Hebraico.

Idem ille Alexandrinus scriptor quem modo citavimus 68
Ptolemaico talento aequale fuisse docet Antiochense et Tyrium. Rectissime haec quidem; nam et Tyrii antiquitus eodem quo postea Ptolemaei nummorum pondere usi erant[1]) et Seleucidae Syriae reges, qui Antiochiam regni sedem habuerunt, etsi ipsi ad Atticam normam nummos signabant, tamen alterum vetustum et populare ponderis genus non expulerunt. Tum sub Augusti imperio cum novum nummos signandi ius Antiochensibus permitteretur, hi non Atticam normam, sed Tyrium sive Ptolemaicum pondus, quippe quod Romano denario proximum esset, sequi iussi sunt[2]). Hinc Ἀντιοχικόν id talentum appellatum atque e denario libris LXII S aestimatum.

Denique quarto loco illud talentum afferendum est quod cum Epiphanius (fr. 82, 34. 37) libras Romanas CXXV habuisse scribat, apparet id et Ptolemaico et Tyrio et Antiochensi talento duplo maius fuisse. Est hoc Hebraeorum, qui et antiquitus idem ac Phoenices pondus habuerunt, et cum primum nummos signare coeperunt, ad Tyriorum tetradrachmorum similitudinem illos fecerunt siclos Israelis quos dicebant[3]). Sicli autem vocabulum cum staterem sive

---

1) V. Mommsen. p. 35 s. et Queiponem I p. 313 s., III p. 30 ss.
2) V. Mommsen. p. 715 s.
3) V. Boeckh. p. 67, Queip. I p. 94 ss., Levy, *Ge-*

didrachmum significet, Hebraicum talentum constat IIII milia siclorum habuisse Tyrioque sive Ptolemaico talento altero tanto maius fuisse. Atque exstat eiusmodi pondus admodum memorabile, quod Montfauconus descripsit[4]), ubi cum inscriptum sit PONDO. CXXV. TALENTVM SICLORVM III, habes ipsum Hebraicum talentum eiusque ad Romanum denarium aestimationem. Sed ut iustum Ptolemaicae drachmae pondus paullo maius fuit eo denario qui est unciae octava pars, cuius talentum facit libras LXII S, ita exactum Hebraici talenti pondus illam aestimationem a Romanis factam superavit. Quid, quod Iosephus idem Hebraeorum talentum C Atticas minas, hoc est CXXXIII libras Romanas, habuisse significat, et, quod ad idem fere redit, singulis minis libras II S tribuit[5])? Hinc olim exactum et legitimum Hebraici talenti pondus prorsus ad Ptolemaicam rationem accomodatum fuisse videtur[6]); verum Romani, cum omnia illorum talentorum genera e denario suo aestimarent, post Neronis aetatem etiam Hebraicum talentum ad libras CXXV redegerunt.

De talento Antiochensi populari alteroque lignario.

69 Hac longiore quaestione de variis et Aegypti et Asiae ponderibus instituta commodissimum videtur, ut res quam brevissime absolvatur, statim quaecunque praeterea scriptores veteres de eo argumento tradunt hic proponere.

---

schichte der jüd. Münzen (Breslau 1862) p. 40 ss. coll. p. 155 s.

4) Antiquité expliquée par Montfaucon vol. III p. 169 pl. XCIV.

5) Haec egregie explanata sunt a Boeckhio p. 52.

6) Si verum est quod supra statuimus (§ 66 adn. 3) Ptolemaicas drachmas 6 exacta ratione fecisse Atticas 5, sique iustum Hebraicum talentum duplo Ptolemaico aequale fuisse recte existimamus, sequitur, ut Hebraica mina Atticas pendat minas 1⅔ (sive libras 2⅞, ubi Iosephus minus accurate 2½); eademque ratione talento Hebraico conveniunt minae Atticae 100. Fuit igitur olim iustum Hebraici talenti pondus kilogr. 43,6, minae gr. 725. Haec postea Romani imminuerunt, cum talentum facerent kilogr. 41, minam gr. 682. Ceterum commemoro idem talentum inter Herculanensia pondera exstare (§ 61 adn. 3).

Primum scriptor fragmenti de talentis (fr. 95,3) praeter Ἀντιοχικόν talentum, quod eodem pondere quo Ptolemaicum fuisse scribit, aliud quoddam commemorat his verbis: οἶδα δὲ καὶ ξυλικὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ τάλαντον ἕτερον, ὃ μνᾶς μὲν ἰδίας ἔχει ξ', ἑξαπλάσιον δὲ σχεδὸν τῷ τοῦ νομίσματος ἀριθμῷ. Hic ὁ τοῦ νομίσματος ἀριθμός illud talentum e denario factum significat, quod ipse scriptor Atticum antea appellavit et Ptolemaico aequale esse dixit. Inde lignario talento Antiochensi, quippe quod sexies tantum sit, conveniunt librae CCCLXXV, ut in eodem fragmento infra (7), sive is locus ab eodem auctore sive a recentiore quopiam scriptus est, recte calculis e denarii ratione subductis legimus.

Tamen ne iam verum et genuinum lignarii talenti pondus invenisse nobis videamur. Etenim quo id talentum quod e denarii ratione computatur levius est iusto Ptolemaico talento (§ 67), eo plus etiam interest, utro ex pondere lignarium talentum derivemus. Iam ex ponderibus quibusdam in Syria nuper repertis cognitum habemus et Antiochiae et aliis Syriae locis δημοσίαν, i. e. popularem quandam minam in usu fuisse, quae Herodoteam minam Babyloniam altero tanto superaret[1]). Hanc centenaria ra-

---

1) Ea quae dixi pondera descripsit Longperrier in Annal. Instit. arch. vol. XIX (1847) p. 340 ss. Sunt autem haec:

1. Pondus plumbeum in Syria inventum, inscriptum praeter alia verbis ΔΗΜΟΣΙΑ ΜΝΑ, factum anno 57 a. Chr. n. (*une petite portion du métal a été enlevée par une fracture)*, pendit gr. 1068,20

2. Pondus aeneum ibidem inventum, inscriptum praeter alia verbis ΔΗΜΟΣΙΟΝ ΗΜΙΜΝΑΙΟΝ, factum secundo anno post Actiacum proelium (29 a. Chr. n.), dimidia pars prioris, pendit gr. 535,15

3. Pondus plumbeum Berytense, quarta pars minae, pendit gr. 267,80.

Hinc efficitur pondus popularis Syrorum minae non inferius fuisse gr. 1070. Quomodo autem haec mina orta esse videtur? In ruinis Nini, ut supra commemoravimus (§ 65 adn. 2), inventa sunt varia pondera, unde duas in Assyria minas fuisse cognoscitur, alteram maiorem gr. 1020, alteram minorem sive dimidiam gr. 510. Iam

tione constat derivatam esse ex Asiatico statere; eiusdem autem minae tertia pars fuit Ptolemaica[2]). Atqui si recte statuimus non tam e denario Romano quam Ptolemaica sive Tyria drachma lignarium talentum definiendum esse, sequitur, ut eius talenti minam duplo maiorem populari Syrorum mina fuisse existimemus[3]).

De Alexandrino talento lignario.

70 Breviter dicam de Alexandrino talento lignario, quod auctor de talentis (fr. 95, 3) sic explicat: τὸ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ξυλικὸν (τάλαντον) τῷ πέμπτῳ διαφέρει πρὸς τὸ προειρημένον ἐπιχώριον περιττεῦον. Hic cum τὸ προειρημένον ἐπιχώριον intellegatur Ptolemaicum talentum, lignarium talentum aestimatur minis Ptolemaicis

---

nonagenaria ratione e maiore mina factus est argenteus stater Asiaticus gr. 11,3, e minore siclus Persarum sive daricus argenteus gr. 5,66 (v. Mommsen. eo loco quem § 65 adn. 2 citavi). Porro centenaria ratione primum e siclo facta est mina Babylonia quam Herodotus commemorat, unde postea orta est mina Alexandrina (§ 66), tum ex Asiatico statere popularis Syrorum mina. Hanc tamen, cum exacta ratione gr. 1130 habere deberet, posteriore aetate paullo leviorem (gr. 1070) factam esse ex ipsis ponderibus quae attuli cognoscitur. — Praeterea non omittendum videtur Babyloniam minam etiam a Chiis receptam fuisse. Nam ab eodem Longperriero (p. 334) duo Chiorum pondera descripta sunt, alterum inscriptum ΔΥΟ ΜΝΑΑ[Ι], alterum ΜΝΑ, quorum prius gr. 1124,10, alterum 547 pendit, quae proxime conveniunt cum centenario pondere sicli (gr. 5,6).

2) Ptolemaicam drachmam tertiam partem Asiatici stateris fuisse ipsa nummorum pondera demonstrant. Itaque non casu ac fortuito, sed necessaria ratione Ptolemaica mina fuit tertia pars illius Syriae. Recte igitur lignarium talentum, quod auctor de talentis e denario, hoc est ex Ptolemaico pondere, definit, a nobis cum populari Syriae talento comparatur.

3) Hinc eius talenti lignarii haec pondera efficiuntur: primum e iusto Syriae minae pondere, derivato ab Assyria mina, kilogr. 135,9, tum ex ipsis ponderibus in Syria inventis kilogr. 128,4 denique ex Romanorum aestimatione, qui id ad 375 libras redegerunt, kilogr. 122,8.

LXXII, eiusque mina unciis Romanis XV[1]). Haec ipsa mina in tabula hippiatrica (cap. XII) reperitur: ἡ μνᾶ ἔχει Ϝ ιε΄.

De vetustissima Ptolemaicae drachmae aestimatione a Romanis facta.

Monet me is locus quem statim attuli, ut alia de re 71
gravissima commemorem. Idem enim auctor minam ὁλκὰς ριβ΄ S habere dicit et continuo addit ἡ λίτρα ἔχει ὁλκὰς ϙ΄. Haec quamvis mira videantur, facillime tamen illustrantur[2]). Etenim cum eidem minae tribuantur et unciae XV et drachmae CXII S, efficitur, ut eiusmodi drachmas uncia habeat VII S, libra XC. Item Galenus eo loco ubi de drachmarum varietate agit (fr. 44) plurimos dicit unciae drachmas VII S tribuere. Iam vero memoria repetamus id quod totiens diximus, Ptolemaicam drachmam a Romanis cum eo denario qui est unciae octava pars aequiperatam esse. Sed Neronis demum aetate ad id pondus denarius redactus est; haec ipsa igitur aestimatio neutiquam ad id tempus pertinere potest quo primum provincia facta est Aegyptus. Atqui vetustiori denario tum drachma aequiperata est? Minime; nam cum is denarius septima pars unciae esset, Ptolemaica autem drachma manifesto esset levior, fieri non potuit, ut Romani externum pondus idque levius cum denarii sui maiore pondere miscerent. Immo exacta ratione calculos subducamus. Ex ipsis ponderum monumentis cognovimus, quanta sub Romanorum imperio Ptolemaica mina fuerit (§ 67). Cuius drachmam sive centesimam partem si cum uncia comparamus, quot drachmae in unciam incurrunt? Utique septem cum semisse[3]), per-

---

1) Mina Ptolemaica ex Romanorum ratione, quam auctor de talentis sequitur, est unciarum 12½; adde his quintam partem: fiunt unciae 15. Vide Christ. p. 82.

2) Rectam eius rei cognoscendae viam monstravit Christ. p. 82 s. 84 s.

3) Pondera ipsa, ut demonstratum est (§ 67 adn. 1), produnt minam gr. 352,6, drachmam gr. 3,53. Hanc drachmam compara cum uncia Romana gr. 27,29: efficitur, ut drachmae 7,74 incurrant in unciam. At id quod dixi drachmae pondus paullo levius fuit. Divide unciam in

inde atque Galenus et auctor ille quem initio citavimus tradunt. Hanc igitur vetustissimam Ptolemaicae drachmae aestimationem esse arbitramur eamque tum a Romanis factam esse, cum primum Aegyptum in provinciae formam redegerunt et pondera illa de quibus supra diximus (§ 67) facienda curaverunt.

Ne quis tamen ea quae dixi ad nummorum pretia pertinere existimet. Haec enim omnino, ut auctor de talentis dilucide explanat (fr. 95, 2) sub aliam legem cadunt.

De statere qui in his tabulis reperitur.

72 Quoniam accuratiore de Ptolemaicis et ponderibus et nummis disputatione abstinere non potui, hoc ipso loco adiungenda est eius stateris memoria qui et in fragmento de talentis et aliis locis affertur. De quo Alexandrinus ille scriptor ita exponit, ut eum necessariam quasi talenti partem faciat: πᾶν τάλαντον ἰδίας ἔχει μνᾶς ξ′, ἡ δὲ μνᾶ στατῆρας κε′, ὁ δὲ στατὴρ δραχμάς, αἵ εἰσιν ὁλκαί, δ′. Iam cum idem scriptor, quippe qui Alexandrinus sit, omnino Ptolemaicas et ponderum et nummorum rationes sequatur, hunc quoque staterem inter Ptolemaicos nummos referendum esse neminem negaturum esse arbitror. Accedit vero aliud momentum gravissimum. Memineris, quaeso, imperatores Romani quam rei nummariae rationem toto imperio instituerint. Etsi nonnullis civitatibus ius nummos signandi aliquamdiu relictum est, tamen ea licentia quam angustissimis finibus circumscribebatur omninoque Romanorum et aurei et argentei nummi in omnibus provinciis principatum quasi tenebant. Denique Marcus Aurelius edixit, ne ulla in provinciis civitas nummos signaret. Verum tamen unam excepit Aegyptum, quae singulari loco inter omnes provincias semper habebatur[1]). Ibi inde a Tiberii temporibus tetradrachma aenea admixto argento signabantur, quorum pondus vetustis Ptolemaicis tetra-

---

partes $7\frac{1}{2}$: fiunt gr. 3,64. Hoc habes legitimum Ptolemaicae drachmae pondus, quod ipsum supra longe alia ratione invenimus (§ 66 adn. 3).

1) V. Mommsen. p. 728.

drachmis simile erat [2]). Ea in Cleopatrae tabula (X, 14, item XI, 11) proprio nomine τετράδραχμα appellantur denariisque Romanis IV aequiperantur. Quod autem eadem στατῆρες nuncupantur [3]), id ad Hebraeorum hominum disciplinam et studia, quae Alexandriae floruerunt, revocandum videtur. Nam qui Ptolemaeorum nummus Graeco more τετράδραχμον vocabatur, eum *shekel* sive σίκλον Hebraeos pro sua consuetudine dicere solitos esse satis constat. Eius autem vocis Graeca interpretatio est στατήρ.

Quid, quod ipsum σίκλου vocabulum et in lapide illo qui talentum Hebraicum pendit et in his tabulis exstat [4])? Utique haec est propria vocis significatio; quamquam postea Sacrae scripturae interpretes dimidium staterem σίκλον appellare consueverunt (fr. 82, 40).

De medimno Ptolemaico eiusque partibus.

Postquam ad Cleopatrae tabulam aliasque explicandas 73 de ponderibus et nummis Aegyptiorum copiosius disseruimus, etiam de medimno Ptolemaico, priusquam ad ipsam tabulam transeamus, breviter commemorandum videtur. Cuius mensurae qui modus fuerit, supra cum satis demonstratum sit (§ 39), hic tantummodo de partibus eius agitur. Sed ne in ea quidem re, postquam Boeckhius luculenter omnia explanavit [1]), ulla difficultas relinquitur. Etenim in cap. XV Galeneae collectionis accurata Ptolemaici medimni divisio exstat, cui si artabam addimus [2]), hanc habemus omnium mensurarum tabulam:

---

2) Ibid. p. 723 s.; conf. infra § 99.

3) Cap. X, 14. XI, 11. VII, 7 (ubi ἀσσάρια δύο quattuor denarios significant: conf. supra § 57), VIII, 15 (ubi idem pondus tribus stagiis Constantinianis expressum est: vide § 58), Epiphanius (fr. 82, 39) al.

4) V. supra § 68 et Gal. cap. VIII, 17. XII 13.

1) V. *M. U.* p. 202.

2) V. fragm. Περὶ μέτρων (81, 5). Praeterea inter Aegyptias mensuras in tabula Cleopatrae (60, 23) ἴνιον affertur eique modus sextarii Romani tribuitur. Quod ego hoc loco cautius omittendum esse duxi, quoniam id a Ptolemaeis receptum esse non satis constat. Omnino autem, quid de hac mensura statuendum sit, nondum liquet. V. Boeckh. p. 244.

μέδιμνος	1				
ἀρτάβη	2	1			
ἡμίεκτον	12	6	1		
χοῦς	24	12	2	1	
χοῖνιξ	96	48	8	4	1
κοτύλη	288	144	24	12	3.

Quae facile ita distinguuntur, ut χοῦς tantum liquorum, μέδιμνος et ἡμίεκτον et χοῖνιξ modo frumentorum esse mensurae, ἀρτάβη et κοτύλη ad utrumque genus pertinere dicantur.

Ad Atticam autem rationem ea sic conveniunt: κοτύλη et χοῦς eiusdem modi sunt atque Atticae mensurae; ἀρτάβη aequalis est metretae; χοῖνιξ autem, quippe quae III, non IV cotylas habeat, Attica choenice minor est quadrante, eademque de causa congii est quarta, non ut apud Atticos, tertia pars. Denique μέδιμνος et ἡμίεκτον iisdem Atticis mensuris sesqui maiora sunt.

Haec est mensurarum ratio a Ptolemaeis instituta. Quam quomodo Romani immutaverint, supra demonstravimus (§ 39). Modii autem satorii usus, de quo suo loco diximus (§ 25) deinceps ad posteriora tempora pertinet.

Non omitto hoc loco spem meam quandam expromere fore ut aliquando Persarum mensurae frumentariae, quae ab aliis aliter definiuntur[3]), comparatis Aegyptiis mensuris explicentur. Sed nobis nunc in eam rem inquirere non vacat.

De metreta Antiochensi sive Syrio.

74 Aliquantum etiam ad id argumentum conferre posse suspicor Antiochensis amphorae modum, cui tres auctores de mensuris sextarios Romanos CXX tribuunt. Primum appello scriptorem fragmenti Περὶ μέτρων (fr. 81, 2): ὁ δὲ Ἀντιοχικὸς μετρητὴς τοῦ Ἰταλικοῦ ἐστι διπλάσιος καὶ ϛ. In amphoram Romanam — nam is est Ἰταλικὸς μετρητής — cum XLVIII sextarii incurrant, Antiochensi metretae sextarii conveniunt CXX. Idem autem in Galeneo cap. VII (25) et in Cleopatrae tabula (30) legimus, ubi eadem mensura ὁ κατὰ Σύρους μετρητής vocatur. Qui

3) V. Metrol. p. 275. Queiponiana (I p. 358 ss.) probare non potui.

quod a Cleopatra ξέϲταϲ ϛ´ habere dicitur, sextantes ipsius Syriae amphorae intelleguntur, non sextarii Romani.

De ponderum expositione secundum Cleopatrae tabulam.

Tandem aliquando via ab omnibus partibus quasi pate- 75
facta et munita ad id quod ab initio propositum fuit revertimur. In Cleopatrae tabula primum de ponderibus ita agitur, ut initio a mina facto omnium minorum ponderum rationes, similiter ac mensurarum in tabula Heroniana VII, adscribantur.

Minae tres afferuntur, primum ἡ μνᾶ per se: haec est propria Atticorum mina, qua medici utebantur (§ 51); tum ἡ Ἀττικὴ μνᾶ unciarum XII S est Ptolemaica (§ 67); denique ἡ Πτολεμαϊκὴ μνᾶ unciarum XVIII quid sit, supra accurate explanavimus (§ 65).

Tum librae partes οὐγγία, δραχμή sive Ἰταλικὸν δηνάριον, γράμμα, ὀβολόϲ, κεράτιον prorsus ex Romana ratione (§ 51) enumerantur. His autem adduntur θέρμοϲ, tertia pars scripuli, et ex Attica ratione χαλκοῦϲ, octava oboli pars. Inde haec Cleopatranae tabulae forma conficitur:

μνᾶ ὄνομα σταθμοῦ	1									
Ἀττικὴ μνᾶ	—	1								
Πτολεμαϊκὴ μνᾶ	—	—	1							
λίτρα	—	—	—	1						
οὐγγία	16	12½	18	12	1					
δραχμή	128	100	144	96	8	1				
γράμμα	384	300	432	288	24	3	1			
ὀβολόϲ	768	600	864	576	48	6	2	1		
θέρμοϲ	1152	900	1296	864	72	9	3	1½	1	
κεράτιον	2304	1800	2592	1728	144	18	6	3	2	1
χαλκοῦϲ	6144	4800	6912	4608	384	48	16	8	5⅓	2⅔

Praeterea afferuntur ἡμιώβολον, dimidia oboli pars (9), στατήρ sive τετράδραχμον (14), Ptolemaicum scilicet (prol. § 72). Tum nummi aenei, qui a Romanis imperatoribus signari solebant (§ 59) extr.), hunc in modum explicantur:

unciam vocari τετράσσαρον Ἰταλικόν (3),
διπούντιον, i. e. dupondium, IV drachmas pendere (15),
ἀσσάριον habere II drachmas (18).

Admodum memorabile hoc videtur, quod Atticum hemiobolum ἑτέρου ἡμιωβόλου τέσσαρα πέμπτα habere dicitur (11). Sed ea res quid significet, in promptu est dicere. Nam cum ἡ Ἀττικὴ μνᾶ Ptolemaica illa quae e denario Romano aestimata est intellegatur (§ 67 extr.), etiam Ἀττικὸν ἡμιώβολον eadem ratione accipiendum est. Ἕτερον autem esse proprie Atticum dilucide perspicitur ex proximae tabulae initio (XI, 1): ἡ μνᾶ ἡ Ἀττικὴ ἔχει ϝ ιβ΄ ϛ, ἡ δὲ ἑτέρα ϝ ιϛ΄. Inde iam efficitur, ut id hemiobolum quod Ἀττικὸν dicitur alterius habeat quattuor fere quintas partes[1]). Idem autem expressit scriptor alterius collectionis Cleopatranae (fr. 79, 2) his verbis: ὁ χαλκοῦς δὲ ε΄΄ Ἀττικοῦ ἡμιωβολίου.

Quoniam dubitari nequit, quin et Ἀττικὴ μνᾶ et Ἀττικὸν ἡμιώβολον in hac tabula plane ad denarii rationem spectent, porro efficitur drachma etiam illa Attica, cuius sexta pars Aegyptia drachma esse dicitur (6), ipsum denarium significari. Iam compertum habemus drachmam Ptolemaicam inde a Tiberio imperatore quarta denarii parte aestimatam esse (§ 72. 99). Quid vero ex hoc loco colligimus? Nimirum, id quod gravissimum est., posteriore aetate eandem Ptolemaicam drachmam, quae quidem ab hoc auctore Αἰγυπτιακή vocatur, ad sextam denarii partem redactam esse[2]). Tum igitur non C Aegyptiae drachmae, sed CL demum, aurei Romani pretium aequabant.

---

1) Conf. Christ. p. 62 s. Exacta ratio haec est: Vera Attica mina habet uncias 16, et ea quae Ἀττική dicitur uncias 12½; ergo prioris minae hemiobola 25 faciunt alterius hemiobola 32. Pro quibus scriptor tabulae minus accurate 4 et 5 computavit.

2) Non me fugit scriptorem tabulae addere ἄγουσα

De mensuris eiusdem tabulae.

Primum a contextu tabulae quattuor exiguae mensurae 76
separandae sunt, quae nihil ad reliquas pertinent. Alienis locis inter media pondera interserta sunt βασιλικὸν κάρυον (16) et χήμη ἡ μεγάλη καὶ ἡ μικρά (17), quae post κοχλιάριον (19) collocari debebant. Atque etiam κοχλιάριον propterea ab iis quae sequuntur alienum esse videtur, quod id solum pondere, non mensurae ratione definitur. Haec igitur separatim ponamus[1]:

κοχλιάριον ἔχει < α'
χήμη ἡ μικρὰ ἔχει < β'
χήμη ἡ μεγάλη ἔχει < γ'
τὸ βασιλικὸν κάρυον ἔχει < δ'

Deinceps genuina mensurarum tabula sequitur (20—28), ubi primum κύαθος, κοτύλη sive τρυβλίον, ξέστης sive ἴνιον vulgari ratione definiuntur; tum minus usitatae, ut videtur, mensurae adduntur ὀξύβαφον sive κόγχη ἡ μεγάλη, ἡ ἐλάττων κόγχη, μύστρον τὸ μέγα, τὸ μικρότερον (μύστρον); denique χοῦς et χοῖνιξ explicantur. Quarum mensurarum summam habes hanc:

χοῦς	1					
χοῖνιξ	4	1				
ξέστης, ἴνιον	6	—	1			
κοτύλη, τρυβλίον	12	3	2	1		
ὀξύβαφον, μεγάλη κόγχη	—	—	—	4	1	
κύαθος	—	—	—	6	1½	1
ἐλάττων κόγχη	—	—	—	(12)	—	2
μέγα μύστρον	—	—	—	16	—	—
μικρότερον μύστρον	—	—	—	22	—	—

ὀβολὸν α'. At hoc nihil est, nam ea drachma pretio, non pondere, est sexta denarii pars. Atque aliis etiam locis ἄγειν et ἔχειν a posterioribus scriptoribus inter se confusa sunt vide: fr. 65, 4.

1) Ad ea argumenta gravissimum illud accedit, quod in altera tabula Cleopatrana extrema est cochlearis men-

Aegyptias has mensuras esse et e verbis: καλεῖται παρὰ Αἰγυπτίοις ὁ ξέστης ἴνιον, et e choenicis modo cognoscitur. Quibus de rebus supra diximus (§ 73).

Consulto adhuc omisi de ponderibus commemorare. Etenim non solum mutuae mensurarum inter se rationes definiuntur, sed etiam, quot quibusque unciae et drachmae aliaque minora pondera conveniant, diligenter perscriptum est. Haec omnia ad illam medicorum aestimationem revocanda sunt, ex qua cotylae LX drachmae tribuuntur (§ 43. 45).

Restat tertia particula tabulae mensurarum (29—31), ubi et georgicae quaedam mensurae, de quibus continuo separatim dicemus, et Syrius metretes (supra § 74) explicantur. Denique ab alio grammatico quaedam de cotyla minoribusque mensuris adscripta sunt, quae, nisi quod τρυβλίον oxybapho aequale esse dicitur, non differunt a prioribus.

De georgicis mensuris.

77 Singulare quoddam mensurarum genus illud est quod scriptor tabulae Cleopatranae ἐν τοῖς γεωργικοῖς se invenisse tradit (29). Quibus verbis utrum librum quendam georgicorum an omnino rem rusticam agricolarumque usum significet, non satis liquet; at hoc dubitari non posse videtur, quin ad Aegyptum eae mensurae pertineant. Quas nos iam georgicas breviter appellemus.

In his κοτύλη sesqui maior est Attica cotyle, quippe quae sextarii sit dodrans, non semis[1]. Reliqua sic definiuntur:

κοτύλη	1	
ξέστης	1⅓	1
χοῦς	12	9
ἀμφορεύς	48	36
μετρητής	96	72
μέδιμνος	136	102.

---

sura. Ergo etiam huius prioris tabulae secunda pars post eum ipsum locum incipit.

1) In ipsa Cleopatrae tabula vitiose legitur εὗρον τὴν κοτύλην τρίτον ἢ τέταρτον ξέστου, nam in omni re-

Ἀμφορεύς, μετρητής, μέδιμνος eodem modo in secunda mensurarum tabula explicantur.

En miram habes mensurarum rationem, ad quam illustrandam haec in praesentia afferri posse arbitror. Μετρητής est Aegyptia artaba vetustior, aequalis Attico metretae (§ 39. 73), ἀμφορεύς autem qui dicitur est dimidia illius pars. Tum χοῦς perinde atque Atticus et Ptolemaicus XII cotylas habet, sed cum hae georgicae cotylae maiores sint, ipse etiam congius vulgarem congium dimidia parte exsuperat. Denique medimni mensura, nisi fallor ad iugerum Romanum ita accommodata est, ut, cum sex fere modii sive singuli Attici medimni in iugero seri solerent[2]), hic agricolarum medimnus sex sextariis Atticae mensurae modum exsuperaret.

De altera tabula Cleopatrana (cap. XI).

Sequitur hanc quam modo explanavimus Cleopatrae 78
tabulam altera simillima, quae nihil nisi primam prioris tabulae partem (1—19) hic illic in brevius contractam continet, ceteroquin nulla in re ab ea differt. Nam quod vulgo nonnulli loci minus recte legebantur, eam non tam scriptoris quam librariorum culpam esse iamdudum demonstraverat Neander, qui nonnulla rectius edidit quam posteriores[3]). Unum autem excipio in quo ipse scriptor erravisse videtur, quod siliquae duos chalcos et duas quintas (non tertias) partes tribuit; sed idem adscripsit altera manus in priore tabula Cleopatrana.

De tabula hippiatrica (cap. XII).

Tabula Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν ἱππιατρικῶν, 79
quamvis brevis sit, tamen e tribus diversis partibus com-

---

liqua tabula ea ratio valet, ut terni sextarii faciant cotylas quaternas. Apparet igitur vulgatam scripturam corruptam esse ex γ′ δ″, h. e. τρία τέταρτα.

2) V. supra § 25 adn. 4.

3) Initio ⸓, quod nuper Christius addidit, iam habet Neander. Eundem secuti sumus in edendis § 7 (ubi ϵ′ brevior numerus est pro $5\frac{1}{3}$) et 14.

posita est. In prima parte brevem ponderum expositionem sequitur cotylae minorumque mensurarum descriptio (1—10). Idem secundae partis (11—15) argumentum est, nisi quod omnia in brevius contracta sunt. Denique in tertia parte (16—18) mina quaedam XV unciarum et δηνάριον IV scripulorum afferuntur.

Primum uncia secundum legitimam rationem in VIII drachmas, drachma in III scripula sive VI obolos dividuntur. His praemissis κοτύλη reliquaeque mensurae et pondere et mutuis inter se rationibus definiuntur. Quarum hanc habes plenam tabulam:

κοτύλη	1			
ὀξύβαφον	2	1		
κύαθος	6	3	1	
μύστρον	24	12	4	1
κοχλιάριον	48	24	8	2

Vides haec plane cum ea expositione quae in secunda tabula exstat (prol. § 59) convenire, eoque esse praestantiora, quod et unum μύστρον invenitur et siclum omissum est. Eandem minorum mensurarum tabulam etiam auctor Περὶ μέτρων exhibet (§ 86).

Ponderum autem ratio a cotyla XII unciarum derivatur. Quid hoc? Vini habet cotyla uncias X, olei IX: ergone haec veterinariorum cotyla maior fuit quam vulgaris mensura? Ego vero, si de lege quaeris veraque norma, nego; si usum spectas, concedo. Nam primum de legitimo eius mensurae modo sic concludo. In secunda ponderum et mensurarum tabula eadem cotylae divisio atque in hac hippiatrica reperitur: ergo huius cotylae modus idem atque illius. Iam illam cotylam semissem sextarii, h. e. legitimam Romanorum mensuram esse e reliqua tabula efficitur: igitur huic quoque veterinariorum cotylae eundem modum tribui necesse est.

Attamen per usum illorum medicorum aliam praeterea aestimationem obtinuisse ex hac ipsa tabula cognoscimus. Supra de metricis unciis demonstravimus quas cotyla habebat XII (§ 46). Eae quidem hic stathmicae

factae sunt[1]) atque ita et cotylae et reliquarum mensurarum modus quinta parte est auctus.

Inde etiam locus secundae tabulae quem supra emendavimus egregie illustratur. Etenim quod in libris invenitur: τὸ κοχλιάριον δηνάριον ἤτοι στάγιον ἥμισυ propterea corruptum esse apparet, quod ex ipsa eiusdem tabulae ratione cochleari stagium unum cum quadrante convenit[2]). Nos autem ratione subducta e cotyla XII unciarum illic στάγιον ἓν ἥμισυ scripsimus, quod quidem prorsus congruit cum hac hippiatrica tabula, ubi VI scripula cochleari tribuuntur. Ne multa, etiam in secunda tabula, etsi reliquae mensurae e legitima Romanorum ratione definitae sunt, tamen cochlear perinde atque in hippiatrica tabula ad cotylam XII unciarum revocatum est.

Secunda huius tabulae pars, ut iam significavimus, e priore in brevius contracta est, nec quidquam ad eam adnotandum, nisi quod post γράμμα (12) semissis nota vulgo omissa est, et inter pondera σίκλον affertur (§ 72 extr.).

Minam quae in tertia parte explicatur ad lignarium talentum Alexandrinum pertinere supra demonstratum est (§ 70), eodemque loco de libra XC holcarum diximus (§ 71). Denique δηνάριον IV scripulorum est exagium Constantinianum (§ 58), cuius in reliqua tabula nulla fit mentio.

De octava mensurarum tabula (cap. XIII).

Tabula Περὶ μέτρων ὑγρῶν quam nos octavo loco 80
numeramus[3]) ex eodem fonte quo prima expositio de men-

1) Ne quis in hac tabula metricas uncias intellegi posse existimet, meminerit cochleari tribui scripula 6, unde fit cotyla unciarum 12, stathmicarum scilicet. Accedit omnium reliquarum tabularum similitudo, in quibus ubique stathmicae unciae inveniuntur.

2) V. supra § 59 adn. 1.

3) Quartam tabulam (prol. § 61) sequuntur Cleopatranae duae et una hippiatrica. Inde haec περὶ μέτρων ὑγρῶν octavum locum obtinet.

suris liquorum derivata est[4]). Pariter hic atque illic ab Italica amphora ad parvum mystrum mensurae describuntur. Sed in hac tabula nonnulla recte omittuntur quae in illa aut alieno loco aut perperam addita sunt. Nam primum κοχλιάριον quod aequale sit cotylae quam maxime suspectum videtur, quoniam et ipsum cochlearis vocabulum et reliquarum tabularum auctoritas eam exiguam cotylae partem, minimam mensuram, esse demonstrat. Ergo id ex illa tabula eiiciendum esse duximus. Tum ibidem sextarii et cotylae pondera non suo loco afferri et ex hac tabula et iis verbis quae illic paullo post sequuntur: εἰ δὲ βούλοιο καὶ τὸν σταθμὸν τῶν ὑγρῶν εἰδέναι μέτρων pro certo cognoscitur; quapropter nos totum illum locum seclusimus.

Quae in prima expositione (IV, 9—13) in universum de ponderibus liquorum traduntur, ea hic omissa sunt, sed tabula illa qua pondera singillatim describuntur (IV, 14) hic eodem plane modo repetita est[5]).

De tabula Dioscoridea (cap. XIV).

81 Nona huius collectionis tabula Dioscoridis nomine inscripta est, quamquam non magis verum eum auctorem esse apparet quam aliarum Galenum aut Cleopatram[1]). Ceterum singularis praestantia huic tabulae propterea tribuenda est, quod ea pure atque integre Romanas ponderum et mensurarum rationes exhibet.

Initio scriptor tabulam suam, quam summa cura ac diligentia compositam esse dicit, amico cuidam dedicat se-

---

4) Huius tabulae § 1—7 congruunt cum cap. IV, 1—8, et haec § 8 cum illa § 14. Conf. etiam prol. § 52.

5) Nonnullis locis appellatio ponderum differt, sed res ad idem redit. Ut in illa tabula oxybaphum vini unciis 2 scrip. 12, in hac drachmis 20 definitur, quae sono, non re differunt.

1) Conf. ea quae ego e Dioscoride excerpta supra (§ 44) proposui. Primum κεράτιον et χαλκοῦν apud illum non inveni. Tum neque ἡμίναν neque ἡμικόγγιον neque κόγγιον legi. Denique minima mensura apud Dioscoridem est κοχλιάριον, in hac tabula χήμη. Sed tamen nonnulla in hac tabula cognata esse Dioscorideis minime nego.

que a minimo pondere usque ad minam omnia persecuturum esse profitetur. Prima igitur huius tabulae pars (1—8) per se stat; quam excipit altera pars Περὶ μέτρων ὑγρῶν (9—39), cuius in praefatione nulla mentio fit.

In ponderibus χαλκοῦς cum siliqua aequiperatur, quod etsi novum et inauditum nobis videtur, tamen ea res, ut ab bono auctore tradita, non in suspitionem vocanda. Reliqua pondera usque ad libram accurate ex Romanorum ratione descripta sunt.

Minae tres distinguuntur, prima medicinalis (κατὰ τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν), quae est vetusta Attica, secunda Italica XVIII unciarum, tertia Alexandrina XX unciarum. Quae omnia supra suis quaeque locis illustravimus[2]).

In altera huius tabulae parte Romanae mensurae definiuntur vini, olei, mellis ponderibus. Sunt autem hae: κεράμιον, οὔρνα, χοῦς sive κόγγιον, ἡμικόγγιον, ξέστης, ἡμίνα sive κοτύλη, τέταρτον, ὀξύβαφον, κύαθος, χήμη; quae vocabula si in Latinum sermonem convertis, habes ipsas Romanas mensuras, amphoram, urnam, congium, sextarium, heminam, quartarium, acetabulum, cyathum[3]), quibus adiiciendi sunt semicongius — nam hanc quoque mensuram, etsi ab aliis scriptoribus non commemoratur, apud Romanos in usu fuisse ex hac ipsa tabula cognoscitur — et cochlear, quarta pars cyathi[4]).

Hae mensurae tripliciter, primum vini, tum olei, denique mellis pondere exiguntur. Amphorae vini ex legitima ratione tribuuntur librae LXXX, olei LXXII, mellis CXX, unde deinceps omnes minores mensurae definiuntur. De mellis pondere, ut supra vidimus (§ 59), non convenit inter veteres auctores: sed haec quidem Dioscoridea tabula cum Oribasii aestimatione consentit.

---

2) De Attica mina v. supra § 51, de Italica § 61, de Alexandrina § 66.

3) V. Metrol. p. 91.

4) Romanum hoc cochlear dico, explicatum a Columella de r. r. 12, 21 (conf. Metrol. p. 91 adn. 11), quod e cheme Graecorum derivatum esse ex hac Dioscoridea tabula colligitur. Prorsus autem diversae mensurae sunt

De decima ponderum et mensurarum tabula (cap. XV).

82 In tabula decima quae Ἄλλως περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν inscribitur primum mensurae a medimno ad chemen definiuntur. Medimnum Ptolemaicum esse supra ostendimus (§ 73). Partes cotylae sunt ὀξύβαφον, κύαθος, χήμη, eaedemque earum rationes atque in tabula Dioscoridea (§ 81). Pondera mensurarum descripta sunt secundum cotylam LX drachmarum (§ 45).

His addita sunt alia variis e libris compilata. Μύστρον tripliciter explicatur, tum κοχλιάριον, βασιλικὸν κάρυον, alia afferuntur, de quibus latius exponere non operae pretium esse duco[1]). Sed hoc non omitto nonnulla cognata esse cum Dioscorideis[2]).

χήμη μικρά (prol. § 52) et κοχλιάριον (§ 59. 79) aliaque (§ 76).

1) Satis esse videtur haec breviter adnotare: μέγα μύστρον, quod cotylae pars 18ª esse dicitur, simile est illi quod apud Cleopatram cotylae parte 16ª aestimatur (§ 76). Tum μικρὸν μύστρον aequale est chemae quae in priore huius tabulae parte affertur. Δικαιότατον autem μύστρον, cui 8 scripula tribuuntur, aequale est illi μικροτέρῳ μύστρῳ quod apud Cleopatram pars 22ª cotylae dicitur. Porro κοχλιάριον 3 scripulorum aequale est Cleopatrano cui unius drachmae pondus tribuitur (§ 76); βασιλικὸν κάρυον apud Cleopatram est drachm. 4 (§ 76) consentitque scriptor tabulae tertiae (cap. VIII, 18) tria stagia scribens; sed in hac tabula eidem 7 drachmae tribuuntur (δ' corrigendum videtur); Ποντικὸν κάρυον hic habet drachmam 1, in tabula tertia 18 siliquas, quod ad idem redit. Eandem mensuram significare videtur Galenus (tom. XIII p. 431 *Kühn*). Huic accedunt dimidia pars, βάλανος et quarta, Αἰγυπτιακὸς κύαμος. Denique ὄροβος inter mensuras affertur; sed ea res incredibilis est, quoniam mensura, quae cotylae sit pars 1440ᵐª, fingi non potest. Vehementer hic erravit auctor tabulae, qui, cum haec e Dioscoride excerperet (v. adn. 2), pondus significari non intellexerit.

2) Inter medicamenta a Dioscoride π. ὕλης I p. 156 s. describuntur κάρυον βασιλικόν et κάρυον Ποντικόν. Prius quid sit, ipse explicat: κάρυα βασιλικά, ἃ ἔνιοι Περσικὰ καλοῦσι. Tum in libro II explicantur κύαμος Ἑλληνικός p. 246 ss., Αἰγύπτιος κύαμος, ὃν ἔνιοι Ποντικὸν καλοῦσι p. 248 s., ὄροβός p. 251 s., θέρμος p. 252 ss. His locis

De Nicandri interprete a Scaligero aliisque citato.

Diu frustra laboravi de Nicandri interprete, qui sae- 83
pius a Scaligero, Gronovio, Pauctono, Du-Cangio citatur, cum denique eas tabulas ponderum et mensurarum cognovi significari quae in fine Aldinae Nicandri editionis additae sunt[1]. Quarum prima inscripta est Ἔκθεσις περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων ἀκριβεστάτη, secunda Ἔκθεσις τῶν σημείων καὶ χαρακτήρων, tertia Ἔτι περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν ἰατρικῶν συντομώτατος ἔκθεσις ἁπλουστάτη. Ne tamen novi quidquam in his tabulis scriptum esse existimes: congruunt eae plane cum Charterianae collectionis capitibus VII, VI, VIII, nisi quod in fine ultimae tabulae in Aldina editione haec adiecta sunt: γίνωσκε δὲ ὅτι τὸ σημεῖον τόδε · σκροπλ · ἔστι κεράτια · ε̄ · ὁμοίως δὲ καὶ τόδε · ταρ (?) οἷον ξυρ · ε[2]. Praeter hoc autem Aldinae tabulae levioribus tantum in rebus a Charterianis discrepant, ut fere variorum codicum variae sunt in eodem argumento scripturae. Nullus igitur iam Nicandri interpres, cui peculiaris quaedam auctoritas debeatur; verum omnia illa quae inde afferuntur ad tabulas Galeneas quas dixi reiicienda[3]; quin etiam ipsa appellatio interpretis Nicandrei

nulla omnino de ponderibus aut mensuris fit mentio; at in libris περὶ ἰοβόλων et περὶ εὐπορίστων, ut supra vidimus (§ 44 adn. 9), κυάμου μέγεθος Αἰγυπτίου, καρύου Ποντικοῦ τὸ μέγεθος inter mensuras et ὀρόβια ponderis loco afferuntur, quae utique cognata esse apparet cum iis quae in hac tabula leguntur.

1) Princeps Nicandri editio Aldina prodiit a. 1499: ego ea usus sum quae a. 1523 typis expressa est. Hic eae tabulae fol. 89[b] subiunctae sunt scholiis.

2) Extrema verba in Aldina compendiis expressa sunt. Apparet in ταρ notam alicuius ponderis latere; et pro ξυρ. nescio an κερ., i. e. κεράτια, legendum sit. Ceterum confer tabulam Oribasianam (fr. 67, 36).

3) Loci Scaligeri aliorumque hi sunt: Scalig. de re numm. p. 35: Italicam minam ab Attica distinguit ἀνώνυμος Nicandri interpres: *Ἡ Ἰταλικὴ μνᾶ* et cet., quae habes in Galen. cap. VII § 11. Ergo minus recte Boeckh. p. 299 huic loco propriam quandam auctoritatem tribuit. — Idem p. 48: *sane interpres Nicandri dixit: τὸ δηνάριον ἔχει δραχμὴν μίαν ἡμίσειαν*, quae petita sunt e cap. VII

per se falsa est, quoniam eae tabulae et a Nicandri carminibus et a scholiis eorum prorsus alienae sunt [4]).

De tertia collectione ponderum et mensurarum.

84 Vidimus eius collectionis quam Galeneam vocamus alias partes aliis in libris servatas esse; sed fuerunt praeterea qui nonnullas ex his tabulis in novas formas redigerent aliaque quae ad id argumentum pertinere viderentur immiscerent. Cuius rei luculentum exemplum praebet ea collectio quae a nobis post tabulas Oribasianas posita est (fr. 71—77). Nam usus est scriptor quasi fundamento tabula Dioscoridea (fr. 64), cuius initium fecit suae collectionis primam partem, tum pondera secundum caput tertium Galeneae collectionis persecutus est, notas ponderum et mensurarum, quae ibidem capite II et VII reperiuntur, quam brevissime proposuit, nonnulla e capite VIII excerpsit, deinde reliquas partes tabulae Dioscorideae adscripsit, iisque eam tabulam quae inter Galeneas est decima (fr. 65) adiunxit [1]). In fine autem nescio an ab alio scriptore addita est mira quaedam farrago, ubi promiscue atque incondite varia de mensuris ponderibus nummis Hebraeorum compilata sunt et ex Epiphanio et iis fragmentis quae sub Eusebii, Maximi, Iuliani titulis feruntur [2]).

---

§ 5. — Gronov. de sest. p. 862 citat sub eodem titulo cap. VIII § 14. 25. — Paucton. p. 235 affert cap. VII § 25; idem autem per errorem Nicandri interpreti tribuit verba ὁ χοῦς ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλας Ἀττικὰς δώδεκα, ξέστας δὲ ἕξ: quae potius petita sunt e tabulae Cleop. § 27. — Du-Cangius in Lexico sub στάγιον: *Expositio ponderum et mensurarum subiecta Nicandro Gorraei: τὸ ἀσσάριον* et cet. quae cap. VII § 6 leguntur. Idem sub κοκκίον affert initium cap. VII.

4) Vide ea quae supra § 44 e Nicandro eiusque scholiis allata sunt.

1) Singula ita inter se respondent: fr. 71 = 64, 2—8; fr. 72 simile fragmento 53; fr. 73 in brevius contractum e fr. 52 et 56; fr. 74 excerptum e fr. 58; fr. 75 = 64, 9—39; fr. 76 = 65.

2) Haec brevissime sic proponam: fr. 77 § 1 = 88, 5 κοδράντης. — § 2 artabae definitio desumpta ex Epipha-

De quarta collectione, quae tabulam Cleopatranam aliasque continet.

Ut is scriptor de quo statim disputavimus in tractatu 85
suo componendo Dioscoridea maxime tabula usus est eique similia quaedam admiscuit, ita alius vir harum rerum studiosus e tabula Cleopatrana et duabus illis quae in Galenea collectione proxime sequuntur peculiarem et novam expositionem de ponderibus et mensuris confecit (fr. 78—80). Hic primum legimus inscriptionem admodum prolixam quaeque stilum aetatis Byzantinae prodat. Tum Cleopatrae tabula sequitur nullis nisi levioribus rebus mutatis. Sed extrema illius pars (inde a § 25) hic omissa, et breviter sic concluditur: ταῦτα ἀπὸ τῶν γεωργικῶν. Praeterea autem memorabile videtur in ponderibus definiendis fere ubique additum esse νόμισμα, i. e. solidum Constantinianum, librae Romanae partem LXXII; id quod rectissime factum est e consuetudine illius aetatis omnia pondera ad libram et exagium revocantis. Denique miro modo inter medias mensuras inculcatum est Hebraici talenti pondus libris et solidis expressum[1]).

Secunda pars huius collectionis (fr. 79) composita est e capite Galeneo XI in brevius contracto et tabula hippiatrica sive capite XII. Chalcus, qui hemioboli quinta pars dicitur, est Ptolemaicus, quemadmodum supra (§ 75) demonstravimus. Quae autem postea eodem loco leguntur (fr. 79, 2),

---

nio (82, 14), nisi quod illic tot sextarii, quot hic litrae artabae tribuuntur. — § 3 corrupta est; sanam scripturam habes fr. 80, 3. 4, quae cognata est cum fr. 88, 3.— § 4: confer 88, 3. — § 5: vide fr. 96. — § 6 ex Epiphanio. — § 7 id δηνάριον intellegi videtur quod exagio par est: vide fr. 58, 20, prol. § 58. — § 8: vide fr. 96. — § 9 usque ad 14 e tabulis Epiphanianis. — § 15 δινάριον aequale solido idem est quod § 7 definitur. — § 16 = 88, 3 init. — § 17 et 18 e Iuliani tabula (fr. 16).

1) Est locus fr. 78, 17: τὸ τάλαντον ἄγει λίτρας ρκε', νομίσματα θ. Librae 125 sunt talenti Epiphaniani sive Hebraici (prol. § 68); eaedem multiplicatae cum numero solidorum qui in unam libram incurrunt faciunt solidorum novem milia.

ea tam misere corrupta sunt, ut ea, qualiacunque sunt, intacta relinquenda esse viderim.

Extrema pars (fr. 80) eodem consilio atque iisdem e fontibus composita est ac tabula Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν in priore collectione (fr. 77). Sed hic omnia desiderantur quae illic post σάτον (§ 6) inveniuntur.

De fragmento Περὶ μέτρων *inter Heronianas reliquias servato.*

86 Aliquoties supra citavimus fragmentum quoddam Περὶ μέτρων, cuius ubique egregiam esse fidem cognovimus (§ 39. 73. 74). Ea tabula in libris manuscriptis post fragmentum de talentis et denario (95) invenitur unaque cum illo Heroni tribuitur. At vero nec ab Herone nec a Didymo eam scriptam esse satis demonstravimus (§ 14): nunc addimus eandem ne ad illum quidem auctorem referri posse qui de talentis et denario scripsit. Nam illum quidem Alexandrinum fuisse constat; haec autem tabula ab Hebraeo quodam homine non indocto composita est, quem ipsum quoque Alexandriae vixisse, etsi veri simile, tamen non certum est[1]). Etiam quo tempore ea scripta sit, ambigitur. Nec tamen satis idoneam causam esse arbitror, cur de quarto quintove saeculo cogitetur[2]): immo nihil impedit, quominus ad primum saeculum aut ipsam tabulam aut archetypum quoddam, unde derivata sit, revocemus.

Iam quae in hac tabula (fr. 81) perscripta sunt ea ex ordine percenseamus et cum prioribus comparemus.

Primum amphora Romana eiusque partes, urna, congius, sextarius definiuntur. Amphora a quibusdam μετρητής, urna κάδος appellari traditur. Congius cum Hebraico

---

1) Hebraea stirpe auctorem ortum esse e verbis κάβους ἡμεῖς (χόας λέγομεν) cognoscitur, nam haec Hebraeorum est mensura. Inde Martinus rectissime: *L'auteur*, inquit, *de ce morceau est un juif vivant au milieu des Grecs sous la domination romaine* (p. 212).

2) Haec est sententia Martini (p. 213), qui et hoc fragmentum et alterum de talentis vel ab Epiphanio ipso (?) vel a posteriore quopiam scripta esse statuit.

cabo comparatur[3]). Novum nomen novaque mensura est βρόχος, quarta pars amphorae.

Tum Antiochensi metreta breviter explicato (§ 74) sextarii partes hae afferuntur:

ξέστης	1				
κοτύλη	2	1			
ὀξύβαφον . . .	4	2	1		
κύαθος	12	6	3	1	
μύστριον, λίστριον	48	24	12	4	1
κοχλιάριον . .	96	48	24	8	2

Quae prorsus congruunt cum secunda et septima mensurarum tabula (§ 59. 79), nisi quod mystrum hic μύστριον sive λίστριον vocatur.

Quae deinde verba sequuntur: καὶ τὰ ἐλαιρὰ παραπλησίως cet., ea commode explicari non possunt nisi comparata antiqua illa versione Latina quae sub Africani titulo fertur. Quapropter ad alteram huius libri partem eam disputationem reiicimus. Sed hoc in praesentia non omittimus τὰ ἐλαιρά esse mensuras olearias, quarum maxima dicitur esse μετρητὴς ἐλαιρός, qui centumpondio Romano definitur.

Porro modii Romani partes, semodius (ἡμίεκτον) et sextarius afferuntur, hisque Attica χοῖνιξ, octava pars modii, additur.

Iam sequitur gravissimus ille locus de Ptolemaico medimno deque vetustiore et recentiore artaba, quem supra illustravimus (§ 39).

Excipit haec κόρος ὁ Φοινικικός, cui XXX σάτα tribuuntur; σάτον autem sesquimodium habere dicitur[4]).

Tum congii pondera vino vel oleo vel melle impleti per-

3) Scriptor nihil nisi hoc dicere videtur congium et κάβον fere easdem mensuras significare; cui rei non obstat quod ab Epiphanio (fr. 82, 11) aliisque cabo 4 sextarii tribuuntur.

4) Sic Boeckhius p. 259 locum recte interpretatus est. Ego etiam ipsam scripturam corrigendam esse censui; nam μοδ. τὸ ς″, quod libri habent, semodium significaret; scripsi igitur μόδιος α′ς. Idem σάτον ab Epiphanio (fr. 82, 8 s.) μόδιος appellatur eique 22 sextarii tribuuntur, quae ratio cum hac tabula fere congruit.

inde definiuntur atque in tabula Dioscoridea (fr. 64, 11. 22. 32). Hic in libris manu scriptis nonnulla corrupta sunt, quae certa ratione emendavimus secundum versionem Latinam[5]).

Denique unciae κόκκοι τοῦ πεπέρεος CCCC, librae summatim (ὑφ᾽ ἕν) V milia tribuuntur. Quod pondus in promptu est dicere chalco illi qui in Galeneis tabulis reperitur cognatum fuisse[6]).

De Epiphanio Cyprio eiusque libro de mensuris ac ponderibus.

87 Medium quasi locum inter tabulas mensurarum ac ponderum et inter fragmenta de nummis obtinet Epiphanii ille libellus Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, qui a Petavio una cum reliquis eius scriptis editus est[1]). Quem quidem libellum ab Epiphanio, Constantiae Cypriae episcopo, scriptum esse constat anno CCCXCII paullove post[2]).

Iam primum videamus, quod sit libelli argumentum quidque de eius forma qualis nunc exstat iudicandum videatur. Inscripta sunt Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἐπιφανίου περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, quae orta esse apparet a recentiore quodam sive librario sive interpolatore. Tum initio haec leguntur: Εἴ τις δὲ θέλει τῶν ἐν

---

5) Antequam versionem Latinam inveneram, σταθμίων ἐστὶν ϡθ′ etc. ex scriptura codicis P^b legenda esse existimabam, quae σταθμία conferebam cum Ptolemaica drachma, quoniam drachmae 960 libras 10, congii pondus, efficerent. Sed ea omnia irrita esse vidi, ut primum versionem Latinam inspexi.

6) Ex ea ponderum ratione quae in capite Galeneo III aliisque exstat (prol. § 50. 75) in unciam 384 chalci, in libram 4608 incurrunt. Vides hunc κόκκον piperis non ita a Ptolemaico et Romano chalco diversum fuisse.

1) Ipsam Parisinam editionem, quae a. 1622 prodiit, cum Dresdae non invenirem, usus sum repetitione Lipsiensi, quae Coloniae nomen praefixum habet (Fabric. Bibl. vol. VII p. 420): Epiphanii opera omnia rec. Dionys. Petavius. Editio nova iuxta Parisinam adornata. Tom. II. Colon. 1682.

2) Omnino de Epiphanii vita et scriptis conf. Fabricium in Bibl. Gr. vol. VII p. 415. 418 ss. Anno 392 paullove post librum de mensuris et ponderibus scriptum esse inde efficitur, quod chronologia usque ad eum ipsum annum perducta est.

ταῖς θείαις γραφαῖς εἰδέναι τὰ πρὸς πολυπειρίαν μέρη, λέγω δὴ περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, τούτῳ τῷ ὑπομνηστικῷ ἐντυγχάνειν μὴ κοτοκνείτω. Hic statim e particula δὲ libellum aut partem maioris alicuius operis fuisse aut initium non integrum servatum esse concludimus. Iam longiore sermone μέρη ἐν ταῖς προφητείαις explicantur variaeque notae, quibus in sacris litteris uti solebant, illustrantur (p. 158—60). Tum varia aut brevius commemorantur aut latius exponuntur de septuaginta interpretibus (p. 160 s.), de numero librorum Sacrae scripturae (p. 161 s.), de interpretatione eiusdem, quibus additur ipsorum interpretum historia (p. 162—68). Deinde chronologia perscripta est a Ptolemaeo, Lagi filio, ad annum CCCXCII, qui annus ex extremis verbis efficitur (p. 177): ὧν τὰ ἔτη μέχρι τῆς Ἀρκαδίου ὑπατείας τὸ δεύτερον καὶ Ῥουφίνου ἀριθμοῦνται νζ'. ἐφ' ὧν ἐτελεύτησεν ὁ Οὐαλεντινιανὸς ὁ νεώτερος υἱὸς Οὐαλεντινιανοῦ τοῦ μεγάλου cet. Hic est finis prioris partis libelli, in qua vides res quam variae quamque alienae ab ipso proposito congestae sint.

Sequitur altera pars, quam praeter Petavium edidit Stephanus Le Moyne[3]), inde a verbis Ἕως ἐνταῦθα, φιλοκαλώτατε cet., quae in nostra quoque collectione primo loco leguntur (fr. 82). Iam vero dilucidissime perspicitur eam libelli formam quae a Petavio edita est non genúinam esse. Nam cum scriptor omnino de proposito suo exposuerit (1) et de coro, Hebraica mensura, explicare inceperit (2), inepte interposita est omnium mensurarum tabula quaedam sive index (3); tum vero rursus de coro exponitur (4), cui subiiciuntur λεθέκ, γόμορ, μνασίς, σάτον, μόδιος (5—9). Modius autem, Hebraicus scilicet[4]), cum XXII sextarios capere eaque mensura sacra esse dicatur, sequitur longior degressio de XXII operibus a deo in creatione factis eodemque de numero aliis in rebus sacris

---

3) Varia sacra cura et studio Stephani Le Moyne. Tom. I. Lugd. Batav. 1685. Qui in edendo libello editione Petaviana, nullo codice manu scripto usus est.
4) Conf. supra § 86 adn. 4.

exstante (p. 178—81), qua ex farragine ego nihil nisi eum locum excerpsi, ubi rursus de modio agitur (10).

Hac digressione finita scriptor ad mensuras explicandas redit. Sed iam illum qui in hanc quae nobis in manibus est formam genuinum opus redegit videmus in brevius omnia contraxisse. Praeterea mirum quiddam legentibus occurrit. Comparantes enim eam tabulam summariam quam initio praemissam esse dixi (3) omnes quidem mensuras quae illic afferuntur postea eodem fere ordine explicari videmus (p. 181—84), sed post congium (29) omissam esse στάμνον χρυσῆν, eiusque loco interiectam esse expositionem de ponderibus et nummis (34—49), denique reditum fieri ad eas mensuras quae restant explicandas (30—33) eumque esse finem totius libelli. Quae cum ita sint, num cuiquam dubium esse potest, quin haec sit interpolata operis forma, non genuina? Sane quidem, id quod ex inscriptione περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν cognoscitur, locus de ponderibus et nummis pars fuit Epiphanii libelli; sed tamen ipse scriptor non potuit ea tam inepte inter medias mensuras inculcare.

De aliis libelli Epiphaniani formis.

88 Adhuc de integritate libelli Epiphaniani quaerentes ea vestigia secuti sumus quae in ipsa Petavii editione exstant. Sed clarior etiam lux rei affertur e variorum codicum manu scriptorum comparatione. Qua de re iam Salmasius quaedam commemoraverat [1]), idemque nonnullos locos emendatius ediderat quam apud Petavium leguntur [2]). Omnino

1) V. Refut. p. 45: *nam sub diversis titulis haec concipiuntur in veteribus libris ac in versione antiqua, hoc modo: de argenteis, de nummis, de milliarensibus, de folli.* Ibid. p. 49: *vidi plures manu scriptos codices, qui sub nomine Epiphanii tractatum illum de ponderibus — seorsim continebant.*

2) Primum verba nostrae editionis § 34 s. Salmasius Confut. p. 96 affert ita ut apud Petavium leguntur; tum vero eadem sic emendat: ἑξακισχίλια λεπτὰ ταλάντου, ἃ λεπτὰ καλεῖται ἀσσάρια, ἑξήκοντα δὲ ἀσσαρίων ὑπάρχει τὸ δηνάριον. ρʹ δὲ δηναρίων ὑπῆρχεν ὁ ἀργυροῦς. ἀργυροῦς δὲ ἐτυπώθη ἀπ᾽ ἀρχῆς τὸ νόμισμα. Quae quidem non

cum in aliis bibliothecis tum in Parisina tot eius generis fragmenta latere suspicor, ut si quis omnia collegerit, facile viginti trigintave varias illius tractatus formas exhibere possit. Ego in tanta copia, cum omnibus uti non liceret, ea elegi quae satis esse viderentur ad demonstrandam miram in eo genere varietatem. Quae nunc ex ordine persecuturus sum.

Secundo loco post eum tractatum qui modo adumbratus est — quem Petavianum breviter appellabimus — affero collectionem quandam copiosissimam, ex Epiphanio maxime derivatam, qua haec continentur[3]):

I. Τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν. Hic brevius explicantur κόρος, θεκέλ, μνάσις, σάτον, γομόρ, χοῖνιξ καὶ ὑφή cet. Nummi magis etiam incondite intermixti sunt mensuris quam in tractatu Petaviano.

II. Περὶ μέτρων ἑτέρων. Est haec rursus alia forma eiusdem tractatus, quae magis quam prior accedit ad similitudinem formae Petavianae, sed ipsa quoque brevior est quam illa. Ea pars ubi de nummis agitur sic incipit: Τάλαντόν ἐστι τὸ ὑπερβάλλον πᾶν σταθμιζόμενον μέτρον. κατὰ δὲ τὸν λιτρισμὸν ρκε΄ λιτρῶν ὑπάρχει. ϛ λεπτὰ τοῦ ταλάντου, ἃ (cod. ā) λεπτὰ καλεῖται ἀσσάρια. ξ΄ δὲ ἀσσάρια ὑπάρχει τὸ δηνάριον. ρ΄ δὲ

---

coniectura assecutus est, ut ipse iactat, sed desumsit e codice Par. 2665, quod facile perspicitur collato eo loco quem supra inde attuli (§ 88, II). — Ibidem p. 92 Salmasius affert § 40, ubi τέταρτον addidit (v. adnot. crit.); at debuit η″ scribere. — Porro Refut. p. 24 s. in § 42 egregie addit ὄγδοον ante τῆς οὐγγίας (v. praef. crit.). Eundem locum p. 37 minus accurate repetit. — Ibidem p. 77 citat § 44 hoc modo: μνᾶ ἀντὶ τοῦ μανή. τῇ μὲν γὰρ Ἑβραΐδι μανὴ ὁ ἀργυροῦς καλεῖται· ἡ δὲ μνᾶ ἡ Ἰταλικὴ τεσσαράκοντα στατήρων ἐστί, τουτέστιν οὐγκιῶν κ΄ λίτρας μίας (sic) καὶ διμοίρου. Haec ex libro quodam manu scripto petita esse apparet non aliter atque illos locos de argyro, dichryso, folle, de quibus statim separatim dicam (adn. 4).

3) Inveniuntur haec in codice Paris. 2665, ac I quidem pars inde a fol. 204ᵃ, II fol. 205ᵇ, III fol. 207ᵇ, IV et V fol. 208ᵃ, VI fol. 208ᵇ, VII fol. 209ᵃ.

δηναρίων ὑπῆρχεν ὁ ἄργυρος. Quae aliquantum differunt a tractatu Petaviano (fr. 82, 34. 35), verum his ipsis genuina scriptoris verba continentur, cum illic omnia maxime corrupta sint. Reliqua de nummis eodem ordine atque illic eademque fere forma perscripta sunt; sed rursus nonnulla hic rectius leguntur, quae suis locis adnotavimus[4]).

---

4) Aegerrime nunc fero, quod tum, cum Parisiis fui, non totum hunc tractatum e codice 2665 descripsi. Tunc enim in tanta abundantia fragmentorum Epiphanianorum, quoniam omnia in meam collectionem recipere non poteram nec vero volebam, ea elegi quae maxime ab editione Petaviana discreparent, ut quam diversissimas eius tractatus formas in medium conferrem. Ex hoc autem codice de quo agitur tum satis duxi nonnulla, sicut supra demonstravi, enotare. At vero, si Salmasii Refutationem et Confutationem in manibus habuissem — quos libros multo antea perlegeram nec omnia recordabar — certe eam partem quae est de nummis e codice exscribere non omisissem. Nunc una de re maxime laboro, unde Salmasius et illum locum adn. 2 extr. citatum et hos quos iam allaturus sum repetiverit. Non incredibile est nonnulla, perinde ac genuinam scripturam paragraphi Epiphanianae 35 (v. adn. 2), ex codice 2665 fluxisse, eumque ipsum esse codicem in quem incidisse se scribit Ref. p. 49. Praeterea autem aliis etiam libris eum usum esse ex ipsius verbis cognoscitur. Quod utut est, cum res acta mutari non possit, hic affero locos Epiphanianos, quos diversos a Petaviano tractatu citat Salmasius. Ref. p. 65: *Epiphanii*, inquit, *verba de illo miliarensi quia vulgo corruptissima sunt, heic adscribam, ut legi debent ac distingui*: *Δίχρυσον δὲ ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸ ἥμισυ τοῦ ἀργυροῦ. τὸ δὲ ἀργυροῦν τοῦτο ἐστὶν ὃ οἱ Ῥωμαῖοι μιλιαρήσιον καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικόν· τὸ δὲ δίχρυσον καὶ τοῦτο ἀργύριον ἦν ὅπερ κίβδηλον ὕστερον ἐκλήθη, ἀναιρεθέντος δὲ τοῦ βασιλέως τότε, οὗ τὸ ὄνομα ἐν τῷ διχρύσῳ ἐκεχάρακτο, τὸ νόμισμα αὐτοῦ ἀποβαλλόμενον κίβδηλον ἐκλήθη, τουτέστιν ἀδόκιμον.* Ad quae paullo post addit: *hanc emendationem veteribus libris et antiquae versioni debemus.* — Plurima vero attulit ad extremam tractatus Epiphaniani partem, ubi de folle agitur. Conf. p. 101 ss., ubi verba a Petavio edita corrupta esse demonstrat, probataque emendatione Scaligeri βαλλάντιον scribentis locum sic proponit (p. 104): *φόλλις, ὃ καὶ βαλλάντιον· διπλοῦν δὲ ἐστίν, ὑπὸ δύο ἀργύρων καὶ ἥμισυ*

III. Ἐκ τῆς ἀρχαιολογίας Ἰωσίππου. Haec infra in nostro libro edidimus (fr. 89), ubi singulos Iosephi locos adscripsimus.

IV. Περὶ μέτρων γῆς. Vide prolegomena ad Iulianum Ascalonitam (§ 35 extr.).

V. Ὁ δάκτυλος πρῶτός ἐστιν etc., quae in tabula Heroniana III leguntur. Omissa autem hic sunt prima verba Εἰδέναι χρὴ ὅτι et postea ὥσπερ καὶ μονάς. Praeterea nihil fere discrepat.

VI. Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν. Explicantur σάτον, τάλαντον, ἀλάβαστρον, ὀβολός cet., quae rursus excerpta sunt ex Epiphanii tractatu.

VII. Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου ἐκλογὴ συντομωτέρα περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, quam infra edidi (fr. 88; conf. prol. § 92).

Vides, in una collectione quam varia de Hebraeorum maxime ponderibus et mensuris sint compilata: habes tres diversas formas tractatus Epiphaniani, habes Eusebium similem Epiphanio, nec desunt excerpta e Iosepho nec tabulae agrestium mensurarum.

De tractatu Epiphaniano secundum litterarum ordinem disposito.

Tertio loco illustranda videtur ea tractatus Epiphaniani 89
forma quam Vindobonae inveni[1]). Titulus est Τοῦ ἁγίου

συγκείμενον, οἳ γίνονται σν' δηνάρια. φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμόν, ἀλλ' οὐ κατ' ἀργυρισμόν. Ac paullo post addit (p. 104 s.): *Epiphanius in veteri codice: τὸ δηνάριον ἑξήκοντα δηνάρια ὑπῆρχεν, ὁ δὲ ἀργυροῦς δηνάρια ἑκατόν.* De eodem loco latius disserit Refut. p. 45 ss. suamque sententiam his confirmat (p. 49): *in sanioribus et vetustioribus* (codicibus) *hic locus de folle ita concipiebatur: φόλλις ὃ καὶ βαλλάντιον καλεῖται, ἔχει ἀργυροῦς δύο ἥμισυ, δηνάρια σν', λίτρας ιβ'. φόλλις κατὰ τὸν δηναρισμόν, ἀλλ' οὐ κατ' ἀργυρισμόν.* Denique ibidem: *incidi ipse in manuscriptum codicem quemdam, in quo ita legebatur: φόλλις ὃ καὶ βαλλαντίον καλεῖται, ὅτι διπλοῦται, δύο γὰρ εἰσὶν ἀργυροῖ, ὃ γίνεται σν' δηνάρια λεπτοὶ δύο. φόλλεις κατὰ τὸν δηναρισμόν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν.*

1) Cod. philos. Gr. 178 (Nessel) fol. 278ᵇ. Alia Epi-

Ἐπιφανίου περὶ τῶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ μέτρων. Iam sequitur mensurarum collectio secundum ordinem litterarum disposita hoc modo:

Ἀλάβαστρον βησσίον μέν ἐστι τῷ ὀνόματι, λίτρα[2]) δέ ἐστιν ὁ ἐν αὐτῷ ἐλαίου σταθμός, ὅ ἐστι ξεστοῦ τὸ ϛʹ. ἀλάβαστρον δὲ κέκληται διὰ τὸ ἄθρυπτον (ἄθριπτον cod.) ἄλλο ἀπεικαζόμενον.

Ἀπόρυμα παρὰ μόνοις Θηβαίοις μετρεῖται. ἥμισυ γὰρ τοῦ σάτου ἐστίν. ὁ δὲ σάτης ἐστὶν ὁ ἀληθινὸς εἴκοσι καὶ δύο ξεστῶν. τὸ οὖν ἀπόρυμα ἔστι ξεστῶν ιαʹ [3]).

Ἀρτάβη. τοῦτο μέτρον παρ' Αἰγυπτίοις ἐκλήθη, ὃ (cod. ὁ) καὶ μετριτής· ἔστιν δὲ ἑβδομηκονταδύο ξεστῶν. ἐκ πολλῆς δὲ ἀκριβείας καὶ τοῦτο οὕτως συνήχθη.

Γάβος (κάβος cod.), κόμος, μέτρον σιτίου ἐστίν. ἔστιν δὲ τὸ τέταρτον τοῦ μοδίου. σάτον ἢ βάδος καλεῖται καὶ αὐτὸ ἀπὸ τοῦ Ἑβραίου (an τῆς Ἑβραΐδος? — ἑβραι cum nota compendii habet codex).

Porro explicantur γομόρ (bis), δραγμή, δράξ, ἶν, καμψάκις, κόλαθος, κόρ (χωρ cod.), κοτύλη, κύαθος, κύπρος cetera.

Tum sequitur altera huius tractatus pars sub titulo Περὶ σταθμῶν, quae sic incipit:

Ἀργύρια τὰ καὶ χαλκᾶ στάθμια γραμμάτων τριῶν. ἄργυρος ὁ τέλειος. ἄργυρος καὶ μνὰ καὶ μάνης οὐγγιῶν (οὐ' cod.) κʹ, ὃ γίνεται λίτρ. αʹ οὐγγ. ηʹ.

Haec excipit alia vox Ἀ ...., quam legere non potui, tum βαλάντιον ὃ καὶ φόλης, δίδραχμον, δραχμή, κοδράντης, λεπτόν, μνά. Porro haec, quae non praetermittenda esse videntur:

Μιλιαρίσιον, ὃ καὶ χρυσοῦν καὶ ἥμισυ τοῦ ἀργυροῦ, ἄγει οὐγγ. ῑ.

---

phaniana de mensuris continentur ibidem in cod. philos. 58 fol. 125ª et theol. 288, qui libri tum, cum Vindobonae fui, non in promptu fuerunt.

2) λιτρῶν legi in codice.

3) Hic numerus, sicut multa alia in eodem codice, ambiguis ductibus scriptus est.

Νόμιcμα Ηκ ρ̄κ̄ε̄.

Νόμιcμα ἄλλο γραμμάτ. γ̄.

Νουμμὸν Νούμας τὶς βαcιλεὺς Ῥωμαίων ἐποίηcεν· καὶ πρὸς τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκλήθη.

Ὀβολὸς ὁ ἐξ ἀργύρου[4]) ἄγων γράμματα Γ̄ ἤγουν F• η″.

Ὁλκὴ ἄγει γράμματα Γ̄ ἢ F• η″ (δ̄ cod.).

Cίκλον ἄγει γράμματα ϛ̄, ἔcτι δὲ τὸ δ″ τῆς F•. ὁ cίκλος ὁ ἅγιος ἄγει γράμματα ιβ̄.

Τάλαντον ἄγει Ηκ ρκ̄ε′· καὶ ἄγει λεπτὰ ͵ϛ̄ et cetera quae similiter in aliis fragmentis leguntur. Extrema sunt φόλλης et appendicis instar alius quidam locus de talento.

Haec ita me satis exposuisse arbitror, ut, quae forma illius tractatus in codice Vindobonensi exstet, intellegi possit. Sane multa corrupta sunt: at multa etiam ita comparata, ut vel in tanta abundantia aliorum eiusdem argumenti fragmentorum aliquam auctoritatem habeant.

De tractatu Epiphaniano qui incipit a talento.

Quarta huius generis forma, quam edidi e duobus libris 90
Parisinis (fr. 83. 84), eo insignis est, quod inverso ordine primum de nummis et ponderibus, tum de mensuris exponitur. Ac prior quidem pars et copiosior est et multis rebus praestantior quam tractatus Petavianus, altera autem, ubi de mensuris agitur, etsi brevior est, multa tamen habet quae omisit auctor Petavianus. Ut alia taceam, artabae vocis originem ex Aegyptio sermone derivatam apud hunc solum legis scriptorem.

P̥aucis illustrandus videtur is locus ubi de litrae partibus agitur (fr. 83, 21). Hic scripulo ex legitima illius aetatis ratione tribuuntur VI siliquae sive κεράτια, h. e. ossa sive nuclei fructus ceratoniae: ὀcτᾶ ἀπὸ κερατaίας (pro κερατέας) καρποῦ. Tum scriptor ex ὀcτᾶ novam finxit singularis numeri formam ὁ ὀcτῶν[1]), atque unam

4) ὁ ἐξ ἀργύρου in codice non distincte scripta; addidi e Salmas. Confut. p. 91.

1) Similiter in eiusdem fragmenti § 19 nescio quis

siliquam dicit duplex pondus habere grani hordei quod ad iustam maturitatem pervenerit: ὁλκὴν ποιεῖ κριθῆς εὐκάρπου διπλασίαν[2]). Qua ex ratione reliqua quae eodem loco leguntur recte computata sunt.

Tum non omitto nonnullos locos ex hoc tractatu citari a Salmasio, qui eius fragmenti apographum e Parisino codice, ut videtur, repetitum penes se habuit[3]). Quod autem hos locos Heroni tribuit, secutus est eiusdem libri Parisini auctoritatem, in quo haec Heroniano cuidam libello adiuncta sunt (v. praef.). Nec tamen quidquam in his cognatum cum Heronianis.

Porro de aliis tabulis Epiphanianis.

91 Restat ut ea collectio mensurarum et ponderum ac nummorum describatur quae a nobis edita est e codice Antonii Eparchi[1]). Cuius hae sunt partes[2]):

---

novam fecit nominativi formam μοδίων vel μοδιῶν, ut adnotatum est ad illum locum.

2) Aut sic, διπλασίαν, legendum est pro $\bar{\beta}$ quod in libris exstat, aut κόκκους β'.

3) Vide Réfut. p. 17: *Heronis auctoritatem elevas quia is auctor nondum editus est, et eum penes me habere dixi. suppositium itaque putas esse. ut ne diutius in eo errore sis, indicare tibi non gravabor, non unde illud fragmentum acceperim, sed unde ipse accipere possis. Simile extat fragmentum illi quod penes me habeo in Regia Bibliotheca sub Heronis nomine. Potes adire et videre.* Hic non dubium est, quin Salmasius designet codicem 2361 (v. praef.); atque ex eodem apographum suum videtur descripsisse. Loci autem quos passim citat hi sunt. Varia e fragm. 83 § 1 afferuntur Conf. p. 90. 91, Ref. p. 19. 25. 26. 77; porro e § 5—8 Conf. p. 90. 91, Ref. p. 18; tum § 11 initium Ref. p. 37; § 17 Conf. p. 102, Ref. p. 72; denique varia e § 22—24 Conf. p. 90, Ref. 24. 77. Ex his quae discrepant a contextu fragmenti a me editi suis quaeque locis adnotavi. — Multa etiam ex eodem fragmento citat Gronovius, quae tamen omnia repetivit e Salmasii libris auctoris nomine plerumque omisso.

1) Est nunc inter Parisinos Gr. 1630, olim 2216. Hinc Sarravius cum alia tum ea fragmenta descripserat, quae edita sunt a Le-Moynio. V. huius prol. ad Var. sacra I p. 17 extr. coll. p. 10 extr., et nostram praef. ad fr. 15.

2) Cod. 1630 fol. 194.

I. Περὶ κόρου, ὃς καὶ χὸρ λέγεται etc. (fr. 85). Hic sub quinque titulis primum de mensuris, tum de talento eiusque partibus agitur. Omnia ex Epiphanii libro repetita esse apparet, sed tamen verba aliter composita sunt quam in reliquis eius tractatus formis.

II. Τοῦ ἁγίου Μαξίμου περὶ τῆς τιμῆς τῶν λ' ἀργυρίων ὧν ἔλαβεν Ἰούδας ὑπὲρ προδοσίας τοῦ Χριστοῦ. De his vide infra (§ 100).

III. Τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου Κύπρου (fr. 86). Pauca hic habes excerpta de nummis et mensuris ex Epiphanio, qui disertis verbis citatur; ὡς παραδίδωσιν Ἐπιφάνιος ὁ Κύπρου. Quibus addita sunt quaedam aliena, ut videtur, ab Epiphanii libro.

Praeterea in eodem codice altera collectio exstat (fol. 114), qua continentur

primum Περὶ πηλικότητος μέτρων (fr. 15),

tum Περὶ τῶν ὑποκειμένων σταθμῶν Ἑβραίων (fr. 87), quo e fragmento unum locum laudat Salmasius[3]).

Haec sunt varia ex Epiphanio excerpta, quae in nostro libro edidimus. Multa praeterea eiusdem generis fragmenta his addi posse supra significavimus: ac nonnulla etiam citantur a Salmasio, quae infra inter fragmenta de nummis recepimus (§ 101). Omnino autem materiam quasi satis superque a nobis congestam esse arbitramur, qua alii utantur ad illustranda ea quaecunque in his Epiphanianis obscura sunt.

De tabulis Eusebianis.

Appendicis loco ad tabulas Epiphanianas habenda est 92
ea collectio quae Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου ἐκλογὴ συντομωτέρα περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν inscribitur (fr. 88). Cuius primus mentionem fecit Salmasius[1]), post hunc Gro-

---

3) Ref. p. 33: *auctor incertus περὶ σταθμῶν. Δηνάριον ἦν ἑξήκοντα ἀσσάρια ᾱ καὶ λεπτὰ λέγεται*, quae legis apud nos fr. 87, 11.

1) Eusebius Pamphilus (sic) in Eclogе περὶ σταθμῶν citatur a Salmasio in Refut. p. 43. 57. 81, ubi afferuntur

novius[2]). Ac mihi, cum primum id cognovi, ea res minime neglegenda visa est. Quis enim gravior auctor de mensuris inveniri potuit Eusebio Pamphili, viro suae aetatis eruditissimo rerumque antiquarum studiosissimo? Quapropter cum Gronovium legissem in manibus habuisse codicem manu scriptum Isaaci Vossii, primum, exstaretne adhuc is codex, quaerere coepi. Ac vero etiam nunc eum comperi esse inter libros Vossianos bibliothecae Lugdunensis Batavae[3]). Tum et Parisiis casu felici in eum ipsum codicem incidi quo Salmasius usus est atque inde hoc Eusebianum fragmentum descripsi, et id cum apographo libri Vossiani contuli.

Eusebianum inquam fragmentum, non Eusebii. Nam id ab ipso Eusebio non scriptum esse tam dilucide apparet, ut res demonstratione non egeat. Immo vero quisquis auctor eius collectionis fuit, nec ante saeculum VI scripsit — id quod ex initio maxime et clausula tractatus colligo — et quae scripsit ea partim ex Epiphanio, partim e collectione Galenea, nonnulla etiam, ut videtur, aliis e fontibus compilavit. Atque in his, ut fere fit, multa sunt quae recte se habeant magnique momenti esse videantur; contra

---

e tractatu a nobis edito (fr. 88) § 5 initium usque ad cίκλον (Salm. p. 57), tum proxima usque ad κοδράντηϲ (p. 43), denique § 7 (p. 81). Quae autem idem p. 25 affert: *Eusebius περὶ σταθμῶν· κοδράντης νοῦμμος ἄγων γράμματα ϛʹ. λεπτὸν ἄγει γράμματα τρία* (apud nos fr. 97, 10), ea iniuria inter Eusebiana rettulisse videtur, nam apud nostrum quidem Eusebium non leguntur.

2) De sest. p. 421 s.: *Nos ipsi notavimus in Eusebii Pamphili ἐκλογῇ περὶ σταθμῶν, quam MS. communicavit mecum pro humanitate sua Isaacus Vossius. In ea invenimus: Δηνάριον γο δ. id est, οὐγκίαι τέσσαρες, unciae quatuor. Νοῦμμος γο α* etc., quae legis apud nos fr. 88, 5.

3) Certam huius codicis notitiam (quem commemorat etiam Fabricius in Bibl. Gr. vol. VI p. 104) aperuit mihi W. G. Pluygers, vir humanissimus, qui promptissimo animo precibus meis satisfecit eumque codicem Lugduni Batavorum in bibliotheca, cuius ipsi cura tradita est, servari inter Vossianos (O. 17) septemque pagellis pauca de mensuris continere scripsit. Cuius codicis apographum postea accepi amicissimo Ottonis Jahni studio.

alia sunt improbanda et reiicienda. Velut absurde scriptum legimus denarium IV uncias habere (5), qui error inde ortus est, quod νοῦμμος, h. e. sestertius, quae fuit quarta pars denarii, sub primis imperatoribus ex aere factus est unciae pondere: unde ille scriptor denarium quattuor unciarum pondere olim fuisse opinatus est, qui nunquam fuit.

Absolvuntur prolegomena de mensuris ac ponderibus.

Sequuntur in nostra collectione excerpta quaedam de 93
mensuris e Iosephi archaeologia, tum fragmentum de vocis ξέστης origine e Latino sermone derivanda (fr. 90).

Denique commemoro me his ponderum et mensurarum tabulis subiecisse brevissima duo fragmenta a Bernardo (de mens. p. 70. 72) e libris manu scriptis citata. Quorum in priore λίτραι appellantur quae sunt cotylae, et qui prior affertur μέδιμνος, is est metretes Atticus, alter autem ipse Atticus medimnus. Item in altero fragmento λίτραι sunt heminae, recteque amphorae Romanae tales librae XCVI tribuuntur. Colligimus igitur ex his quoque locis heminam λίτραν appellatam esse (§ 46).

De Pollucis capite περὶ νομισμάτων.

Restat, ut in extrema huius praefationis parte de iis 94
fragmentis quibus nummi veteres explicantur breviter dicamus. Nam uberiore disputatione duabus de causis in ea re uti nolumus. Primum plurima ex his iam satis ab iis qui de nummis scripserunt explanata sunt; tum vero, quae nondum satis sunt illustrata, ea tam incredibilem in modum obscura et impedita sunt, ut haec in peculiari quodam libro, non in praefatione brevioribus finibus circumscripta tractanda sint. Hic ego follem maxime dico et λεπτόν et quidquid ad ea nummorum genera pertinet.

Pollucis caput περὶ νομισμάτων propterea primo loco posui, quod is optimis et vetustissimis auctoribus usus est. Sed priusquam de his dicamus, paucis, quid sit totius capitis argumentum, exponendum videtur. Profitetur initio Pollux de nummis se certa ratione dicturum eorumque partes definiturum esse. Itaque exorsus a talento,

maximo nummorum numero, deinceps agit de mina, statere, drachma, obolo, chalco aliisque minutis nummis. Haec igitur omnia ex ordine usque ad minimum nummulum tractata. Tum digressio quaedam sequitur de verborum χαλκοῦ θερμὸν ἦν interpretatione; qua finita addit alia quaedam de variis nummorum appellationibus, ubi quasi in transcursu commemorat de Aegineticae drachmae pretio deque auri ad argentum ratione. Extrema hac parte νοῦμμον et λίτραν aliosque Siculorum nummos explicat.

Iam haec excipit brevior locus de primis monetae inventoribus variisque de signis nummorum. Denique brevis comparatio variorum talentorum minorumque nummorum instituitur. Haec quidem Pollux in capite περὶ νομισμάτων, quibus cum cognatus sit is locus qui proxime sequitur: διότι χρήματα μὲν εἴποιεν ἂν οἱ Ἀττικοί, hunc statim adiunxi.

De auctoribus quibus Pollux usus est cum aliis tum Aristotele.

95 Auctorum quibus usus est Pollux in scribendo capite περὶ νομισμάτων duo genera distinguo, alterum eorum qui omnino nummorum nomina afferunt nec tamen id agunt ut ea explicent, alterum illorum qui de nummorum rationibus et pretiis de industria scribere sibi proposuerunt. Ac priorem quidem ordinem multo latius patere et per se consentaneum est et Pollucis loco perlustrato facile cognoscitur. Hic optimos quosque veteris aetatis auctores Pollux adhibuit. Affero primum ex poetis Homerum, Euripidem, ex historicorum numero Herodotum, Thucydidem Xenophontem, ex oratoribus et philosophis Lysiam, Hyperidem, Demosthenem, Xenophanem Colophonium. Studiosissime autem comicos legit eorumque locos et exscripsit et interpretatus est; hi enim, quoniam maxime de rebus quae pertinent ad vitae quotidianae consuetudinem agere solent, nummorum quoque non raro mentionem faciunt. Ex his omnium saepissime, ut par fuit, citavit Aristophanem; praeterea autem alios permultos et vetustioris et recentioris comoediae scriptores[1]). Omitto singulorum no-

1) In his Platonem citari comicum, non philosophum

mina hic afferre, quae apud ipsum Pollucem legi possunt; hoc tamen commemorandum videtur, laudabile ingenii acumen Pollucem in eo adhibuisse, quod, si quid lateret, id interpretationis arte ex locis scriptorum eliceret. Ut talentum auri denis fere argenti talentis aestimatum esse egregie ex Menandri duobus locis inter se comparatis effecit, similiterque de oboli partibus acutissime testimoniis comicorum usus est.

Iam me converto ad alterum auctorum genus, quod ut numero inferius est, ita gravitate longe praestat. Mirum forsitan videatur quod hic dicturus sum; sed tamen firmis argumentis id potest stabiliri. Duobus tantummodo auctoribus ex eorum numero qui ex professo, ut aiunt, de nummis scripserunt usus est Pollux, Aristotele atque altero quodam ignoto nec tamen spernendo.

Plurima de mensuris et nummis tradidit Aristoteles in amplissimo illo opere quo varias πολιτείας civitatium centum quinquaginta octo descripsit[2]). Quibus libris amissis quanta iactura facta sit, vel ex eorum fragmentorum paucitate quae servata sunt perspicitur. Ac de mensuris quidem Pollux eum dicit scripsisse in libris de rebus publicis Argivorum et Orchomeniorum[3]), de nummis autem in libris Agrigentinorum, Himerensium, Tarentinorum, Sicyoniorum[4]). Unde quam maxime veri simile videtur locum qui est de Cyrenensium nummis (9, 62) petitum esse e Κυρη-

(9, 66), demonstravit Boeckhius (*Archaeol. Zeitung* 1847 p. 44).

2) In numero definiendo secutus sum Valentinum Rose, qui nuper in Aristotele suo Pseudepigrapho (Lips. 1863) p. 393 ss. de illo Aristotelis opere copiosissime exposuit. Verum is ipse πολιτείας ab Aristotele scriptas esse negat et alii cuidam Peripatetico, qui historicus potius et philologus fuerit quam philosophus, tribuendas esse suspicatur, quales fuerint Demetrius Phalereus et Dicaearchus eorumque similes. Quod propterea hic commemoro, ne quis me id fugisse obiiciat; assentiri autem minime possum.

3) V. Poll. 10, 179. 165.

4) Idem 4, 174. 9, 80. 9, 77. — Addo hoc loco Roseo recte videri Pollucem haec e Didymi lexico, non ex ipso Aristoteleo opere repetivisse (p. 400 s.).

ναίων πολιτείᾳ, eodemque referenda sunt ea quae paullo supra auctore non appellato Pollux de aliis Cyrenensium nummis tradit (60). Porro ad Συρακοσίων πολιτείαν ea pertinuisse mihi persuasum est quae de Siculorum talento traduntur (87), quippe cum Syracusis a Dionysio maiore illa talenti diminutio facta sit [5]). Denique etiam locum de talenti Homerici pondere (55) ex Aristotele petitum esse apparet collatis scholiis in Iliadem (infra § 97).

Prorsus alio e fonte Pollux recepit ea quae de talentis Attico, Babylonio, Aeginetico aliisque scripsit (85. 86). Hic primum satis certam temporis definitionem inde elicimus, quod Aegyptium talentum quarta Attici talenti parte aestimatur; hinc enim efficitur auctorem eius loci non ante Tiberii aetatem scripsisse (§ 99). Porro hunc locum cum fragmento de talentis (fr. 95) comparemus: quam multa similiter in his scripta esse cognoscimus. Recte igitur suspicari videmur origine cognatum esse alterum locum alteri, et, quoniam illam tabulam de talentis ab Alexandrino quodam homine compositam esse constat, eadem in urbe etiam illum auctorem scripsisse quo Pollux usus est. Unde facile fieri potuisse intellegimus, ut is in definiendo Aeginetico talento, quod nunquam in Aegypto usitatum fuit, errorem committeret. Sic enim ego statuo multosque mihi in ea re adstipulaturos esse confido, cum Aeginetico talento minime decem milia Atticarum drachmarum tribui possint, falso nomine illum auctorem appellavisse id talentum, quod re vera Hebraicum fuit: in hoc enim solo, idque aptissime, illa ratio convenit [6]). Quae nunc etsi latiore sermone ex-

---

5) Haec posteaquam scripsi, confirmavit Roseus p. 529. Idem verba δύνασθαι δὲ τὸν νοῦμμον τρία ἡμιωβόλια demonstrat derivata esse ex Apollodori in Sophronem Syracusanum commentario.

6) Talentum Hebraicum centum Atticas minas habuisse e Iosepho demonstravit Boeckhius *M. U.* p. 52 (conf. supra § 68 extr.). Conveniunt igitur eidem X milia Atticarum drachmarum, qui numerus apud Pollucem legitur. Porro Hebraicus stater habuit viginti *gera*, quae singula accurate cum Atticis obolis conveniunt (nam utrorumque pondus est gramm. 0,73). Atque haec ipsa *gera* ὀβολοὶ vocantur ab Epiphanio (fr. 82, 42. 83, 11). Recte

plicare non possum, tamen breviorem eius rei mentionem nolui omittere.

De Pollucis loco περὶ στατικῆς.

Nonnulla ex iis quae in capite περὶ νομισμάτων scri- 96
psit iam in priore operis parte Pollux attulerat. Est enim locus περὶ στατικῆς (4, 171 ss.), ubi cum alia quaedam de ponderibus traduntur, tum ii nummi explicantur quibus ponderum nomina imposita sunt, ut λίτρα, στατήρ cetera. Haec igitur inter locos de nummis referenda esse apparet, quapropter ego ea capiti περὶ νομισμάτων subiungenda esse existimavi (fr. 93).

Aristotelem, Theophrastum, Polemarchum, Timaeum scripsisse de Homerico aliisque talentis.

In Pollucis loco qui est de nummis explicando multis 97
et gravissimis in rebus eum Aristotele auctore usum esse vidimus. Quae res me monuit, ut et illud Aristotelis testimonium quod de Homerico talento in scholiis ad Iliadem scriptis exstat et similes quosdam aliorum locos exscriberem atque in hanc meam collectionem reciperem (94).

Primum Aristotelem legimus talentum Homericum ita explicuisse, ut id certum pondus fuisse negaret, aliisque Homeri locis aliud pretium, sed tamen ubique multo inferius Attico talento, significari diceret. Proposuit haec Aristoteles in libris Ἀπορημάτων Ὁμηρικῶν; ex his autem quae fragmenta ad nostram aetatem permanserunt, ea fere omnia servavit Porphyrius Platonicus in commentariis Homericis quos Ὁμηρικὰ Ζητήματα inscripsit. Quo ex fonte porro scholia Homerica derivata sunt, unde nos illos locos repetivimus[1]. In his, ut significavimus, ipse

igitur Hebraicae drachmae, id est dimidio stateri, decem Attici oboli tribuuntur; id ipsum autem apud Pollucem (9, 76) legitur, ex eodem illo Alexandrino auctore de quo agimus petitum; sed rursus Aeginetica drachma appellatur quae Hebraica vocari debuit.

1) Quae hic de Aristotele et Porphyrio scripsi ea omnia debeo Val. Roseo in Arist. Pseudepigr. p. 148 ss.

Aristoteles tamquam auctor citatur; verum exstant etiam duo Eustathii loci (94, 5. 6), ubi idem de talento iudicium ad Porphyrium refertur: in quibus iam nihil inesse apparet quod alteri testimonio repugnet.

Praeterea de talentis tradidisse ferunt Theophrastum, Polemarchum, Timaeum (94, 3. 4). Hic ego de Theophrasto et Timaeo ambigi non posse censeo, quin alter intellegatur Aristotelis discipulus et amicus, philosophus nobilissimus, alter Tauromenitanus, rerum Sicularum copiosissimus scriptor[2]). Polemarchus autem quis fuisse videatur, non ita constat. Licet afferre Polemarchum Cyzicenum, quem medio fere saeculo quarto floruisse inde colligitur, quod idem et Eudoxum audiverat et Callippi praeceptor fuit, Callippus autem a. CCCXXX phases inerrantium stellarum observavisse dicitur a Ptolemaeo[3]). Quod utcunque se habet, utique Polemarchum eum qui in scholiis Homericis affertur non spernendum auctorem esse perspicitur collato eiusdem testimonio de aureo Atticorum statere eiusque ad argentum ratione (vide fr. 100 et Hesych. v. χρυcοῦc).

Diodorus et Dardanus, auctores de talento, qua aetate vixerint.

98 Denique e scholiis Homericis exscripsi etiam locum de talento eiusque partibus, scriptum a Diodoro quodam in libro περὶ cταθμῶν. Qui qua aetate vixisse videatur quaerentibus initium disputandi faciendum est a verbis: ὁ δὲ χαλκοῦc λεπτῶν ζʹ. In vulgus notum est, quam vilis nummus chalcus fuerit, octava oboli pars: hunc vero ipsum minutissimum nummum Diodorus prodit in septem partes divisum esse, quae λεπτά vocarentur. At id nec ab Atheniensibus unquam factum esse contendo — quamquam sic

2) Siculum esse talentum illud quod a Timaeo viginti quattuor drachmis aestimatur (94, 4) neminem fugere potest harum rerum peritum. Conf. Mommsen. p 79. Alterum locum (94, 3), ubi idem Timaeus dicitur unam drachmam talento tribuere, in praesentia non plane expedio.

3) Conf. Fabricium in Bibl. Gr. vol. II p. 87.

nonnulli existimaverunt — neque omnino vetustiore tempore usque ad saeculum tertium p. Chr. n. Cuius rei gravissimum argumentum hoc mihi esse videtur, quod Pollux, qui diligentissime de nummis veterum scripserit, nullum tale λεπτόν, quale Diodorus habet, novit, sed id vocabulum tribus locis pro ipso chalco — minime pro septima eiusdem parte — posuit (9, 70. 78. 92). Ergo quisquis λεπτόν septimam chalci partem esse tradidit, eum post Pollucem scripsisse veri simile est. Praeterea ratio habenda est loci Photiani (quem Suidas repetivit), ubi de obolo agitur. Hic primum pauca ex eo fragmento Diodori exscripta sunt quod in scholiis Homericis legitur, sequuntur autem alia quaedam, quae cum genere non diversa sint a prioribus, ab eodem auctore repetita esse videantur. Quod si recte statuimus, facillime fit conclusio de aetate Diodori: nam cum illo loco ad solidos aureos talenti pretium revocetur, necesse est eius loci auctorem non ante Constantinum scripsisse.

Ad hanc igitur aetatem pertinet λεπτόν, septima pars chalci. Quod quid sit, ubique ortum esse videatur, etsi nemo adhuc exploravit, tamen in hoc ipso magnum momentum ponendum esse existimo, quod modo demonstravi id ad priora tempora referri non posse.

Reliquae talenti partes a Diodoro recte sic explicantur: τάλαντόν ἐστι μνῶν ξ', ἡ δὲ μνᾶ δραχμῶν ρ', ἡ δὲ δραχμὴ ὀβολῶν ς', ὁ δὲ ὀβολὸς χαλκῶν η'. Quamquam pro chalcorum numero η' antiquitus in aliquo libro scriptum fuit ς', qui numerus et in tabulam Galeneam IX (fr. 59, 8) et in Photii aliorumque lexica propagatus est. Sed id minime posse probari luculenter demonstravit Boeckhius[4]).

De Dardano, qui eadem fere aetate ac Diodorus de nummis et ponderibus scripsisse videtur, aptior dicendi locus tum erit, cum ad Prisciani librum de figuris numerorum pervenero.

---

4) *Archaeol. Zeitung* 1847 p. 44 s.

De fragmento Περὶ ταλάντων *eiusque auctore Alexandrino.*

99 Orsa ab Aristotele mea disputatio, cum interpretum Homericorum locos persequeretur, sensim delapsa est ad scriptores qui extremis temporibus Romanorum imperii vixerunt. Verum iam inde redeamus ad vetustiorem aetatem auctoremque in suo genere gravissimum. Exstat inter Heronianas reliquias fragmentum quoddam Περὶ ταλάντων, quo summatim de Graecis et Romanis ponderibus exponitur. In quo quanta auctoritas inesset, primus intellexit Scaliger, qui, cum de re nummaria scribere instituisset, id satis explicate fieri non posse existimaret, nisi et illud fragmentum, tunc nondum editum, ex antiquo libro sibi descripsisset et omnia quaecunque de variis ponderibus et nummis ibi leguntur in suum libellum reciperet[1]. Hunc secutus est Salmasius[2]. Postea autem id fragmen-

---

1) Loci e Scaligeri libro de re nummaria hi sunt: p. 39: *Sed Hero Alexandrinus mathematicus τάλαντον Homericum falso interpretatur Δαρεικόν. Τὸ δὲ παρ' Ὁμήρῳ τάλαντον* cet. quae legis § 4. Porro p. 35 citatur eiusdem fragmenti § 6 omissis extremis vocabulis αἱ δὲ λοιπαὶ μναῖ διάφοροι; tum p. 41 et 43 § 2; p. 43 § 1; p. 44 § 2 usque ad 4; p. 46 § 5 et 6; p. 48 § 8. Totum igitur fragmentum exhibet Scaliger praeter paragraphum septimam; verum etiam ex hac pauca p. 35 exscripsit. Quod autem Heroni Alexandrino haec tribuit, id factum esse apparet ex eius codicis auctoritate unde ea exscripsit. Usus enim est aut Parisino 2475 aut alio simili, quibus in libris inter medias Heronianas reliquias id fragmentum reperitur (vide praef. crit. ad 99). Ceterum quae in Scaligerianis non conveniunt cum fragmenti forma a nobis edita, ea in adnotatione singulis locis adscripsimus praeter hoc unum, quod § 6 pro verbis πρός τε σταθμὸν καὶ νόμισμα apud Scaligerum p. 35 leguntur πρὸς τὸ Ἰταλικὸν νόμισμα, et p. 46 πρὸς τὴν Ἰταλικὴν καὶ νόμισμα. Sed nostra utique rectius se habent.

2) Primum Refut. p. 19 haec leguntur: *idem Hero, sive is est Africanus, ut quidam libri praeferunt, in alio fragmento quod Scaliger edidit τὸ δηνάριον non aliter sumpsit: τῇ Ἀττικῇ δραχμῇ, inquit, χρηστέον πρὸς σταθμὸν καὶ νόμισμα, ἐπειδήπερ ἰσοδύναμος ἐστὶ τῇ Ἰταλικῇ ἣ καλεῖται δηνάριον. ita enim in optimo codice quem vidi legitur. haec paulo aliter apud Scaligerum. idem paulo post:*

tum fere in oblivionem abiisse videbatur, cum Boeckhius idem ab Angelò Maio in appendice ad Didymum (§ 14), editum esse animadvertit eique pristinum auctoritatis locum restituit, quem confirmavit nuper Mommsenus[3]). Ac mihi vero, cum tot tamque varia incertorum auctorum fragmenta in hoc libro scribendo diligenter pertractavi, ex toto numero nullum afferri posse videtur, quod quopiam pacto ad huius de quo agimus integritatem auctoritatemque accedat. Quin etiam praeter Herodotum, Aristotelem, Didymum, illum denique qui vetustissimam tabulam Heronianam confecit — praeter hos, inquam, nullum graviorem auctorem Graecum de nummis ac ponderibus nostra memoria exstare arbitror quam hunc Alexandrinum scriptorem.

Alexandriae autem eum vixisse primum inde colligitur, quod omnes ponderum et nummorum rationes ad Ptolemaicum talentum revocantur; tum quod στατήρ ille qui pondere quattuor drachmarum, pretio autem unius drachmae esse dicitur, itemque vocabula ὁλκή ac ψεμμός

διαιρεῖται δὲ ἐκ περιουσίας καὶ τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίους εἰς μέρη ͵αρνβʹ. ἔχει γὰρ τροπαϊκὰ βʹ, νούμμους δʹ, ἀσσάρια ιϛʹ. Haec apud Scaligerum etiam corrupta. τροπαϊκὰ vocat victoriatos. Ex his apparet Salmasium codice aliquo usum esse diverso non solum a Scaligeriano sed etiam ab iis quos ego contuli; ac videtur ille ipse codex Salmasianus sub Iulii Africani titulo (§ 47) id fragmentum exhibuisse. Quem codicem verissime dixit optimum Salmasius, siquidem haec duo gravissima: μέρη ͵αρνβʹ et τροπαϊκὰ βʹ recte habet, quae in nostris libris depravata sunt. — Porro Refut. p. 32 e nostri fragmenti § 8 afferuntur: ὁ δὲ νοῦμμος οὐγκίαν ἔχει τῷ σταθμῷ, tum ibidem e § 4: ἄγει οὖν τὸ χρυσοῦν τάλαντον Ἀττικὰς δραχμὰς δύο, γράμματα ϛʹ, τετάρτας δηλαδὴ βʹ, ubi Salmasius haec addit: *perperam vulgo legitur δʹ. Talentum auri Homericum idem tradit fuisse cum Darico qui duas drachmas pendebat, scriptula sex, et duas quartas, hoc est duos quadrantes vel duos asses, nam assis Romanus duarum drachmarum Atticarum pondus habuit.* — Denique p. 58 haec: *Iulius Africanus: τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίους ἔχει τροπαϊκὰ δύο, νούμμους δʹ, ἀσσάρια ιϛʹ. ὁ δὲ νοῦμμος ἔχει οὐγκίας τὸν σταθμόν.*

3) Vide Boeckh. *M. U.* p. 11, Mommsen. *G. R. M.* p. 30.

Aegyptiacam fragmenti originem luculenter produnt. Quibus argumentis si cui non satis persuadeatur, ego non prius verbum addam, quam ille aliquo loco praeter Alexandriam ea scripta esse demonstrare conatus sit.

Tum ad aetatem eiusdem scriptoris definiendam primum in memoriam revocanda sunt ea quae Mommsenus de ea re disputavit (p. 723 s.). Quae hic a me, quoniam difficillima est quaestio, breviter repeti non possunt; at vero satis est haec duo quae pro certis habenda sunt proponere: primum Atticam drachmam ab Alexandrino scriptore commemoratam Romanorum esse denarium (§ 67), deinde stateris appellatione apud eundem significari Aegyptiaca tetradrachma, quae inde a Tiberii temporibus ex aere admixto argento signabantur, quorum pondus ad quattuor denarios accedebat, pretium autem aequabat unum denarium (§ 72). Hinc statim efficitur scriptorem non ante Tiberium vixisse; nec vero ante Neronem, cum idem octo denarios unciae tribuat. Quamquam id ipsum per se parum interest, siquidem hoc maxime est demonstrandum eundem non quarto quintove saeculo scripsisse velut plerosque eius generis auctores quorum fragmenta exstant. Hic primum commemoro eam rei nummariae rationem quam Alexandrinus accuratissime exponit iam tertio saeculo plane immutari coepisse: restant igitur ducenti fere anni inde a Nerone, quibus illius aetas circumscribatur. Verum multae rationes probabiliter afferri possunt, quibus id spatium ad angustiores fines redigatur. Quae quidem omnia ex eo argumento pendent quod Mommsenus comprobavit: quaecumque apud hunc Alexandrinum legantur, ea pertinere ad legitimas nummorum et ponderum rationes a primis imperatoribus institutas. Iam vero si ad hanc quasi normam totum fragmentum exigitur, dubitari non potest, quin scriptor eius extrema parte primi saeculi p. Chr. n. vel initio secundi vixerit.

Omnia si exsequi vellem quae sibi proponere solent ii qui praefationes scribunt, etiam de fide et auctoritate eiusdem scriptoris ita disserendum esset, ut quae ab eo traduntur et uberius explicarem et omnia recte se habere demonstrarem. Ac ponderum quidem rationes iam supra

suis locis illustratae sunt[4]): restat igitur, ut de variis nummorum generibus exponatur. Sed tamen totam hanc quaestionem omittendam esse existimo, quam si aggrederer, ipsam illius aetatis historiam quam dicunt nummariam scribere necesse esset. Accedit, quod plurima iam a Mommseno egregie explanata sunt, a quo etsi paucis in rebus dissentio, tamen hic non est locus ea disputandi. Denique de extrema fragmenti parte, ubi de denarii divisione agitur, commodius tum dicam, cum Volusii Maeciani libellum explicabo.

Verum unum hoc loco addendum videtur, merito dubitari posse, num altera fragmenti pars inde a verbis Ἡ λίτρα ποιεῖ (7) eidem auctori tribuenda sit atque ea quae antecedunt. Sane quidem utraque pars per se stat nec desiderat altera alteram. Quod si verum sit, minime tamen ea quae modo de aetate scriptoris conclusi infringuntur: nisi forte ita discernendum erit, priorem partem videri ad primum saeculum pertinere, alteram certe non recentiorem esse saeculo secundo.

Postremo repeto id quod iam supra dixi (§ 86), fragmentum illud de mensuris quod in libris manu scriptis hoc Alexandrinum sequitur non ad eundem auctorem referendum esse.

De Sancto Maximo.

Nonnullorum saeculorum intervallo ab Alexandrino scri- 100
ptore omninoque iis litteris quae classicae vocantur iam descendimus ad breve quoddam fragmentum quod inscribitur Τοῦ ἁγίου Μαξίμου περὶ τῆς τιμῆς τῶν λ' ἀργυρίων ὧν ἔλαβεν Ἰούδας ὑπὲρ προδοσίας τοῦ Χριστοῦ (96). Vixit Maximus Confessor, qui et theologus et φιλόσοφος appellari solet, a saeculo sexto exeunte ad septimi saeculi annum LXII[1]). Qui cum plurimos libros et exegeticos et dogmaticos scripserit, nihil impedit, quin eundem de pre-

4) Vide de talento Ptolemaico § 67, Antiochensi et Tyrio § 68, Antiochensi lignario § 69, aliaque passim aliis locis.

1) V. Fabric. in B. Gr. vol. VIII p. 731.

tio quo Christus venditus sit aliquo loco scripsisse existimemus, unde hoc breve fragmentum excerptum sit.

Res autem ibi traduntur admodum mirae, quas pro veris haberi non posse quivis sentiat. Apparet enim Maximum id egisse, ut pretio non mediocri Christum proditum esse demonstraret, itaque summam triginta argenteorum computavisse ad centum solidos Constantinianos. Iure laudaveris pietatem hominis, qua permotus Dominum ne tum quidem vili pretio aestimatum esse crediderit, cum a Iuda proditus est; verum ipsa ratio minime stare potest. Ne tamen hac de caussa omnia quae hic leguntur temere reiicias: immo veri simile est in his nummorum rationibus nonnulla latere quae ad ipsam aetatem Byzantinam spectent.

Idem Maximi fragmentum nonnullis locis citat Salmasius[2]; brevior autem eius forma latet alio loco quem nos in tertia collectione ponderum et mensurarum edidimus (fr. 77, 8).

De variis locis a Salmasio citatis.

101 Multos locos quibus de nummis agitur in tertiam nostrae collectionis partem inter mensuras et pondera recipere coegit nos Epiphanius, qui promiscue de ponderibus ac nummis in suo libello disseruerit (§ 87 extr.), eademque de caussa omnia quaecumque Salmasius ex Epiphanianis citavit supra attulimus (§ 88. 90). Sed praeterea apud eundem plurimi loci leguntur variis e libris manu scriptis repetiti, quorum nonnulli cognati sunt cum Epiphanianis — id quod ipsum Salmasium minime fefellit[3] — alii aliis

---

2) Initium fragmenti exscripsit atque interpretatus est in Conf. p. 107 et Refut. p. 33. Quae autem Ref. p. 38 his verbis affert: *Vetus auctor de triginta argenteis quae Iudas accepit: κοδράντης ἐστὶ τὸ τέταρτον τῆς οὐγκίας. τὰ τριάκοντα ἀργύρια γίνονται νομίσματα τριακόσια. τὸ γὰρ ἀργύριον ἔχει νομίσματα δέκα, λίτρας δ', οὐγκίας β'* — ea nonnullis rebus emendatis petivit e fr. 77, 1. 5.

3) V. Conf. p. 102: *Fragmentum vetus περὶ σταθμῶν: βαλλάντιον* etc. (fr. 97, 3), *quae ille habet ex Epiphanio, quisquis auctor fragmenti.*

e fontibus derivati. Nam hi tituli a Salmasio passim citantur: Fragmentum vetus incerti περὶ σταθμῶν, Fragmentum de ponderibus, Vetus fragmentum, Vetus et optimum fragmentum ἀνέκδοτον de ponderibus, Anonymus de ponderibus, Vetus lexicon manuscriptum, Lexicon vetus veteris testamenti, denique omnino Lexica. Quae nos ad singulos locos in nostra collectione adnotavimus (97. 98).

De reliquis fragmentis nummariis.

Denique breviter commemorandum est de nonnullis fragmentis quae ad finem huius partis reiecimus. 102

I. (99). Primum Ioachimus Camerarius e codice Budensi locum breviorem descripsit[1]), ubi de statere, siclo aliisque nummis similiter atque in reliquiis Epiphanianis agitur, quamquam nonnulla ab istis multum differunt. In eodem fragmento postea Salmasius ex alio vetere codice quaedam emendavit[2]).

II. (100). Admodum memorabile fragmentum e codice manu scripto Georgii Wheleri affert Bernardus in libri sui appendice quam Restituenda inscripsit[3]). Qui locus quam maxime commendandus esse videtur omnibus qui his rebus operam dant, nam et Polemarcho auctore (§ 97) nonnulla de nummis Atticis recte traduntur, et de folle, quadrante, lepto, talenti partibus, exstat hic vera scriptura, quae cor-

---

1) Notatio figurarum sermonis in libris quatuor Evangeliorum. Lipsiae 1572. 4. p. 78: *Haec est sententia a Graecis traditorum et repertorum a nobis in quodam libro sine nomine autoris, allato illo ad dignitate et doctrina clarissimum V. Bilibaldum Pircamerum ex Bibliotheca Budensi Anno Christi Iesu M.D.XXVI. Putavi autem Graeca etiam ipsa adscribenda.* Cuius loci notitiam debeo Bernaysio.

2) Refut. p. 23: *Vetus auctor fragmenti Budensis, quod a Camerario vulgatum est,* λεπτὸν *clare drachmam esse scribit, si verba eius recte legantur, quae in editis corrupta sunt, nos ea ex veteri codice sic corrigenda asserrimus:* ἔχει δὲ ὁ στατὴρ et cet. (usque ad ὀβολὸς καλεῖται).

3) Ipsi Bernardi libro de mensuris et ponderibus haec appendix sine paginarum numeris affixa est. Legitur autem is locus quem supra significavi pag. 5.

rupta est apud Hesychium aliosque. Omnino autem id fragmentum multo propius quam lexicographorum loci abest ab ignoto illo fonte, unde scriptores aetatis posterioris omnem veterum rei nummariae notitiam repetivisse videntur.

III. (101). Non omisi colligere locos de nummis aetatis Byzantinae, qui in Glossis nomicis a Labbaeo editis[4]) reperiuntur. In quibus gravissima esse ea quae de miliarensi et de folle traduntur non latuit Salmasium et Gronovium, qui aliquotiens eos locos citaverunt[5]).

Addo stadii quoque mentionem in his Glossis fieri[6]).

IV. Postremo adiungere poteram pauca breviora fragmenta, in quae casu magis quam consilio incurreram, cum Du-Cangii lexicon pervolvebam. At multa praeterea ibidem latere existimo quae ad rem nummariam aetatis Byzantinae pertineant, nec tamen meum esse duxi ea perquirere. Quapropter et haec praetermisi et nonnulla alia quae e scriptoribus Byzantinis citata hic illic reperi, quam litterarum partem si attingere vellem, in campum mihi descendendum esse videbam, unde excedere non liceret nisi multorum annorum labore exacto.

Non omitto tamen commemorare maximi momenti esse ad nummorum Byzantinorum rationes cognoscendas duo illa Ratiocinaria, alterum antiquum, Augusti Caesaris no-

---

4) Veteres glossae verborum iuris quae passim in Basilicis reperiuntur. quas ex variis MSS. codd. Bibl. Reg. Carolus Labbaeus eruit etc., quae recepta sunt in Ottonis Thesaurum iuris Romani, vol. III p. 1697 ss. De libris manu scriptis quibus Labbaeus usus est vide ibid. p. 1705 med.

5) Vide Salmasium in Confut. p. 102. 104. 107, in Refut. p. 51. 58. 68. 70; Gronovium de sestert. p. 812. 816. 829. 830. 839. A quibus qui loci emendati sint, adscripsi in adnotatione ad ipsas glossas; acriter autem castigandus est Gronovius, qui nonnullas Salmasii emendationes, auctoris nomine omisso, pro suis venditavit eiusque rei laudem habuit apud recentiores. Ego, nisi quid me fugit, Salmasio ubique sua restitui.

6) Cτάδιος καὶ cτάδιον· μέτρον ὁδοῦ παρὰ ἵcταcθαι τὸν ὁδεύοντα.

mine inscriptum, alterum novum Alexii Comneni, quae Montfauconus edidit[7]).

Hesychii glossae ἀcάριον *et* κοδράντηc *emendantur.*

Idemtidem in hac praefationis parte significavi minime me eam operam aggredi posse, ut quaecunque de nummis veteribus scripta collegi eadem plane et copiose explicarem. 103
Sed tamen unum eius generis non omittendum esse video, ut duobus Hesychii locis qui magis etiam ab editoribus quam a librariis corrupti sunt genuina et integra forma restituatur. Quos primum ita exhibeo, ut ab una parte codicis, ab altera recentissimi editoris scripturam proponam:

ἀcάριον καὶ λεπιὸν ἕν εἰcιν. ἤγουν ϛ΄ τ^ων ταλάντων, ὅ ἐcτι ἓν ἥμιcυ λ^ο. τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντηc εἶc, ἤγουν ν^ο ν^ο γ΄.	ἀcάριον καὶ λεπτὸν ἕν εἰcιν. ἤγουν ἑξακιcχιλίων τριακοcίων ταλάντων, ὅ ἐcτι ἓν ἥμιcυ λεπτοῦ. τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντηc εἶc, ἤγουν νουμμία γ΄.
κοδράντηc τὸ πᾶν ἢ τὸ τέταρτον τῆc φόλεωc ἢ λεπτόν· τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακιcχιλιοcτὸν ταλάντου, ὅ ἐcτι νόμιcμα ἓν ἢ κόκκοι τρεῖc. τὸ δὲ τάλαντον λίτραι ἑκατὸν εἰκοcιπέντε. ὁ δὲ κοδράντηc νομίcματα τρία.	κοδράντηc· τὸ πᾶν, ἢ τὸ τέταρτον τῆc φόλλεωc, ἢ λεπτὰ δύο· τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακιcχιλιοcτὸν ταλάντου, ὅ ἐcτι νουμμίον ἓν ἥμιcυ, ἢ κόκκοι τρεῖc. τὸ δὲ τάλαντον λίτραι ἑκατὸν εἰκοcιπέντε. ὁ δὲ κοδράντηc νουμμία τρία.

In his quae discrepant a codicis scriptura — quamquam nonnulla non satis accurate e codice enotata esse suspicor — ea Schmidtius partim secundum Scaligerum, Salmasium, Musurum, partim sua coniectura edidit. Quae si quibus placeant, habeant sibi; audiant tamen, quaeso,

7) Analecta Graeca etc. eruerunt monachi Benedictini p. 316—392.

quae mihi scripsisse videatur Hesychius. Primum in glossa ἀσάριον apparet ϛ´ τῶν ταλάντων corruptum esse ex ,ϛ´´ ταλάντου h. e. ἑξακισχιλιοστόν, quod recte iamdudum viderat Scaliger [1]). Atque idem legitur apud Hesychium sub voce κοδράντης et in fragmento Bernardiano (100, 1). Tum in iis quae in codice sequuntur: ὅ ἐστι ἓν ἥμισυ λ̊, pro ἥμισυ olim scriptum esse puta S vel potius ϛ, quae notae non raro in codicibus inter se sunt confusae. Ipsum autem ϛ nota fuit vocabuli στάγιον sive ἑξάγιον (§ 58). Porro notam λ̊ significare ὁλκήν perspicitur collatis similibus notis λ̥ et <ͦ (§ 105). Legendum igitur ὅ ἐστι ἓν ἑξάγιον ὁλκήν, quibus verbis designatur νόμισμα sive solidus Constantinianus, qui talenti instar in partes sexies millesimas dividebatur [2]). Denique eadem ratione e notis ν̊ ν̊ γ´ elicimus antiquam scripturam νομίσματος ,γ´´, h. e. τρισχιλιοστόν.

Altero loco λεπτόν, siquidem sic vere in codice legitur, corruptum est e λεπτὰ β´ sive δύο. Auctores sunt et Hesychius sub ἀσάριον idemque in altera glossa κοδράντης, quae sequitur vocem κοδομία, et scriptor fragmenti Bernardiani. Tum κόκκοι τρεῖς, etsi idem apud Bernardum legitur, tolerari non potest: quales enim fuerint κόκκοι sive grana, quorum tres solidi pondus aequaverint? Immo κόκκοι corruptum esse videtur e κο, κο, h. e. κοδράνται; quo concesso pro τρεῖς non dubium est quin scribatur ,γ sive tria milia [3]). Denique νομίσματα τρία corrigere sibi visi sunt Scaliger et Salmasius νουμ-

1) De re numm. p. 60.

2) Non possum hoc loco omnibus argumentis allatis demonstrare solidum Constantinianum talento aestimatum esse, quae res acerrime disceptata est inter Petavium et Salmasium (conf. hunc in Conf. p. 94 s., Ref. p. 31 ss.). Verum ipsi Hesychii et scriptoris Bernardiani loci hoc satis confirmant, quibus facile alios auctores addere licet.

3) Finge hanc scripturam KoKo/Γ olim in aliquo codice inventam esse (ubi lineola ante Γ significavit milia): vides quam facile inde κόκκοι τρεῖς oriri potuerit.

μία τρία scribentes, quos secutus est Schmidtius: ego vero νομίϲματοϲ ,γ″ perinde scribo atque in glossa ἀϲάριον.

Haec omnia si in unum colligis, eam habes scripturam quam infra in Hesychianis edidi.

De lexicographis Graecis.

Multum diuque mecum reputavi, num loci qui in lexicis veteribus Graecis de mensuris et nummis scripti sunt, in hoc meum opus reciperem. Quod negotium tam diu minus necessarium mihi videbatur, quamdiu omnia quaecunque eius generis in lexicis exstant iam ab aliis viris doctis citata et in usum huius disciplinae collata esse existimabam. Sed cum magis magisque perspicerem multa nondum in medium prolata aut cognita esse, tum laborem non subterfugiendum esse statui. Apollonium igitur, Harpocrationem, Hesychium, Photium, Suidam, Etymologicum magnum perlustravi attente locos qui in meum usum convenirent quaerens et circumspiciens. Quae opera paene infinita quantum saepe taedium mihi attulerit, omitto dicere — nam interdum centum ducentaeve paginae ubi nihil invenirem erant perlegendae — at hoc precor, si quid in tanta copia me fugerit, ut venia habeatur non tam menti meae et voluntati quam oculis quaerendi labore saepe defatigatis. 104

Facile me omnibus persuadere posse existimo recte hunc apparatum separatim a reliquis fragmentis a me positum esse. Maxime enim interest scire, quid habeant Hesychius aliique, quid non habeant; quod, si locos in singula capita mensurarum et nummorum diremissem, cognoscere vix licuisset: nunc vero uno quasi oculorum obtutu omnia possunt perlustrari.

Simili caussa adductus sum, ut unum quemque ex horum scriptorum numero per se ponerem. Quamquam multos optaturos esse puto me singula vocabula ita coniunxisse, ut una variorum auctorum locos deinceps perscriberem, quam rationem synopticam solent appellare. Sane id aliquatenus commodius fuisse non nego; sed tamen il-

lud etiam interest scire ac perspicere, quae omnino singuli lexicographi in suis libris collegerint: id autem, si illam rationem secutus essem, fieri non potuit. Tum vero res criticas in adnotatione satis distincte illustrare non licuisset, nisi singulos auctores separarem; nam ut alii aliorum sunt et codices manu scripti et editores, ita etiam officium eius qui artem criticam in his exerceat suam in quoque rationem sequi debet.

Quod non descendi ad Zonaram, Phavorinum, lexicon Seguerianum, neminem credo mihi exprobraturum esse: quorum locos si addere voluissem, rerum serie porro ad alia atque alia recentiora perductus essem, nec vero quidquam quod magni momenti esset invenissem. Valuit igitur mihi quoque Horatianum illud, certos esse denique fines.

Non hic est locus omnia explicandi quae nova ex lexicographis in eo quem dixi apparatu congessi. Quorum tum aptius et commodius rationem habebo, cum liber de metrologia retractandus denuoque edendus erit. Interim si quid alii ad id argumentum afferent, magnam his gratiam habebo. Unum tamen nunc praetermittere nequeo, nonnullis locis a Photio Sophoclem autorem non sine magna offensione citari. Ac de sicli quidem aestimatione (v. cíκλοc) recte iudicavit Dindorfius Sophoclem per errorem pro Xenophonte[1]) scriptum esse. Nec magis Sophocles voce λιτροcκόποc pro ἀργυραμοιβόc (ἀπὸ τοῦ Cικελικοῦ νομίcματοc) usus esse potest[2]); quod dicendi genus potius ad aliquem recentioris comoediae poetam pertinere videtur. Atque etiam οὐράν pro αἰδοῖον num recte a Photio Sophocli tributum sit, dubitari potest. Quae cum ita sint, veri simile forsitan videatur alium fuisse Sophoclem recentioris comoediae scriptoribus aequalem. Sed id nunc, quoniam certiora argumenta non suppeditant, in medio relinquo.

Loci Hesychii difficillimi de asse et quadrante supra sunt illustrati et emendati (§ 103). Addo praeterea consilio omissam esse a me glossam πεντεcτατήριον, quia al-

---

1) Anab. 1, 5, 6.
2) Phot. v. λίτρα, conf. Hesych. v. λιτροcκόπουc.

tera vox, qua id explicatur, πενταετῆ, aliena est a re nummaria. Quanquam πεντάλιτρον coniecit Bernardus: sed id parum certum esse videbatur. De aliis eiusmodi ambiguis vocabulis vide praefationem ad Hesychium.

De notis mensurarum et ponderum.

Cum iam in eo esset, ut hic liber typothetis mandare- 105
tur, difficultatem necopinatam praebuerunt notae mensurarum et ponderum, quas fide quam maxima fieri posset exprimendas esse censueram. Tum vero certior factus fore ut sumptus immodici in eam rem impendendi essent, quos suscipere honestissimus bibliopola non posset, hoc meo consilio vidi absistendum iisque typis utendum esse qui in officinis praesto sunt. Nonnulla tamen quae necessaria erant novis iisque elegantissimis typis expressa sunt. In ceteris si a librorum manu scriptorum auctoritate in ductibus notarum exhibendis paulum recessi, meminerint lectores eam non tam meam culpam esse quam nimii sumptus evitandi necessitatem.

Non raro in codicibus compendia scripturae notantur lineola aut directa aut obliqua addita, ut ξε̄ vel ξε′ pro ξέστης[1]). Eadem lineola saepe infra ad notam, velut λ et μ, affixa est, unde novae litterarum formae oriuntur, quas hic exhibere non possum. Nonnulla eius generis expressa sunt apud Montfauconum (Anal. p. 393 s.), Neandrum, Stephanum aliosque passim.

Sequitur conspectus notarum quae in nostro libro reperiuntur, secundum ordinem litterarum dispositus.

γρ̄ γράμμα fr. 52, 4. 54, 14. 56, 15. 62, 2 etc.
γρ idem 53, 5 adn. 54, 14 adn. etc.
< δραχμή 29, 1. 52, 5 etc. Est haec proprie nota vocis ὁλκή, ubi vide.
> ἡμίσεια δραχμή 56, 6. 66, 6.

1) Haec exempla repetita sunt e cod. Paris. 2475 fol. 79ᵇ, 2438 fol. 112ᵇ, Monac. 165 fol. 69ᵇ, quibus facile plurima alia addi possunt. Vide etiam infra fr. 73.

$\overset{\mu}{\eta}$ ἡμίνα 52, 11.
Ͻ ἡμιώβολον 56, 8.
$K\overset{\mu}{\rho}$ vel $\kappa\overset{\mu}{\rho}$ κεράμιον 52, 11. 56, 21. 73.
Ꝁ$^{\epsilon}$ κεράτιον 52, 3. 56, 13.
$\overline{\kappa\epsilon}$ idem 73.
Ч idem 78, 9.
idem duplicatum: κεράτια 78, 1. 3. 5 etc.
> duplicatum: κεράτια 78, 1.
Ꝁ^{o} κοτύλη 52, 3. 56, 13.
$\overset{o}{\kappa}$ idem 73. 78, 20. 21. 23.
K$^{\upsilon}$ κύαθος 29, 1 (ubi aliam formam e codice exhibet Montfaucon, quam vide apud illum). 56, 10.
Ꝁ$^{\upsilon}$ idem 52, 3. 56, 13.
$\overset{}{\lambda}$ λίτρα 29, 1. 52, 6. 56, 17. 66, 3.
$\lambda\iota$ idem 52, 6. 54, 14.
λ^{ι} idem 52, 6. 56, 3. 59, 19. 63, 8 etc.
Λ idem 52, 6. 54, 14 adn. 80.
Hv idem 73. Haec et proxima nota proprie significant sestertium, IIS, qui cum assis antiqui libralis locum obtinuerit, nota eius etiam pro ipsa libra posita est.
ĦƘ idem 75, 13. 14. 21. 24. 25.
$\overset{\epsilon}{\mu}$ μέδιμνος 52, 8. 56, 5. 19.
idem: μέρος 56, 5. 66, 5. 73.
$\overset{o}{\mu}$ μέρος (immo μόριον) 73.
μ^{ν} μνᾶ 29, 1 (ubi aliam formam e codice exhibet Montfaucon). 73.
$\overset{\nu}{\mu}$ idem 52, 8. 56, 2. 19.
$\overset{o}{\mu}$ μόδιος 52, 8. 56, 19.
$\overset{\Delta}{M}$ vel $\overset{\delta}{M}$ idem 88, 4 adn.
$\overset{\upsilon}{\mu}$ μύστρον 52, 8. 56, 19.
$\overset{o}{\nu}$ νόμισμα 78, 4 adn. 87, 14 adn., prol. § 103.
ξ^{ϵ} ξέστης 29, 1. 52, 10. 56, 9. 20.
ξ idem 52, 10. 54, 15 adn. 56, 20 etc.
ξ^{ϵ} idem 56, 21. 59, 13. 73.

— ὀβολός 29, 1.
∼ idem 52, 4.
\ idem 52, 4. 56, 14. 66, 8.
∾ idem 53, 6 adn. 56, 7. 66, 8.
/ idem 73.
= δύο ὀβολοί 29, 1.
≈ idem 52, 4.
\\ idem 52, 4. 56, 14.
≈ διώβολον 56, 7.
// ὀβολοί 73.
λ o ὁλκή 52, 6. 56, 11. 17.
< idem 78, 13. 14. 16 etc.
< idem 29, 1 etc. Apparet hanc notam e priore ortam esse omisso o: eadem autem, quoniam ὁλκή et δραχμή synonyma erant, pro drachma poni solebat.
o λ idem prol. § 103.
ξ o ὀξύβαφον 29, 1. 52, 10. 56, 21. 73.
Γ o οὐγγία 29, 1. 52, 7 etc.
o Υ idem 66, 4.
/o Γ idem 73.
o Υ idem 56, 4. 66, 4.
ξ τάλαντον prol. § 47, V.
S- τετρώβολον 29, 1.
S τριώβολον 29, 1. 56, 7. 66, 7.
Ju τρυβλίον 52, 8. 56, 20.
υ τρ idem 52, 8 adn. 56, 20 adn. 73.
α χ χαλκοῦς 52, 2. 53, 8 adn. 56, 12. 73. In abaco Attico pervetusto reperitur nota X (*Archaeol. Ztg.* 1847 p. 42).
H -χ χήμη 52, 2. 56, 12. 73.
ν χ χοῖνιξ 52, 2. 56, 12. 73.
οι χ idem 52, 2. 73.
o χ χοῦς 52, 2. 56, 12. 73.

De notis numerorum.

106 Postquam notas ponderum et mensurarum explicui, adiicio ea quae de numeris in codicibus Heronianis aliisque inveni.

Litterae et vulgares et priscae illae ϛ ϙ ϡ numeros ab I usque ad DCCCC significant adscripta lineola aut directa aut obliqua sic: ᾱ vel α′, β̄ vel β′ et cetera. Hae notae iam in eo codice qui inter Heronianos est antiquissimus[1]) promiscue reperiuntur, nec facile discernere queas utra ex duabus sit usitatior. Idem de reliquis codicibus valet paene omnibus quos inspexi; fuerunt tamen etiam qui in brevioribus fragmentis de mensuris, velut Eusebiano, tantum directam lineolam exhiberent. Ego ubique obliqua lineola propterea usus sum, quia altera minus quadrat in litteras typis expressas minusque elegantem adspectum habet. Interdum in codicibus lineola numerum notans plane omissa est, idque eo saepius quo neglegentius sunt exarati. Denique ii codices qui antiquioris scripturae speciem servarunt aliquoties hoc signum ^ exhibent, ut Γ̂, h. e. tres, quamquam id saepius reperitur in milibus. In Heroniano antiquissimo inveni etiam notulam quandam litterae π similem appositam, ut ψ^{π}, ω^{π}, $\iota\epsilon^{\pi}$.

Milia singula usque ad novem designantur litteris α proximisque, praefixa infra lineola obliqua sic: ͵α ͵β etc., quae lineola cum ipsa littera in unum coalescere solet, id quod describere per typos non licuit. Inter omnes constat antiquitus eandem lineolam et maiorem fuisse et iuxta litteram, non infra, positam esse, ut /A, /B[2]), sed eius usus in codicibus quibus usus sum nullum exemplum exstat. Praeterea autem eaedem litterae nummerales significantur aut lineola directa, ͵η̄, aut his notulis ῀′, ut ͵Γ῀′ ͵Δ῀′, aut alterutra sola, ut ͵Γ^ ͵Є^ — ͵β′ ͵Δ′ etc.[3]).

Dena milia et cetera, h. e. μυριάδες, ut in sermone

---

1) Est Paris. 1670 sec. XIV vel XIII, unde pleraque quae hic trado repetivi (maxime e fol. 66 et 67).
2) V. Franzium in Elem. epigr. Gr. p. 352.
3) Haec omnia desumpsi e Paris. 1670; v. infra § 108.

Graeco ab initio numerantur, ita etiam scribuntur, nec quidquam perversius cogitari potest notis ͵ι ͵κ pro denis vicenisque milibus, quarum usus pueris Graecarum litterarum studiosis in omnibus libris scholasticis tradi solet[4]. Immo dena milia Graeco homini et cogitanti et loquenti et scribenti fuerunt μυριὰς α΄, vicena μυριάδες β΄ etc. Ut in tabula Heroniana II (12) legimus μυριάδας β΄ ͵ηω΄. Sed ubi μυριάδος vocabulum in scriptura omissum est, ibi duobus punctis dena milia significari solent, ut α̈ β̈ etc.[5]. Alibi aliae etiam notae in codicibus reperiuntur, ut ͵ᾱ vel ͵α̃ vel Γ̂[6], quae minus accurate scripta esse apparet.

Non inutilem esse hanc numerorum doctrinam ipse expertus sum, cum Suidae locum de plethro, adhuc absurde editum, emendavi. Nam cum vulgo legeretur πλέθρον... ἢ πανταχόθεν ἔχον πόδας λη΄. καὶ πλεθριαῖον διάστημα, nihil nisi Λ mutavi in Α, ex altera autem littera quae pro numero habebatur, feci ἢ hunc in modum: πανταχόθεν ἔχον πόδας α̈. ἢ καὶ πλεθριαῖον διάστημα.

De notis numerorum fractorum.

Nota semissis in codice Heroniano antiquissimo ubique est C″ (accuratiorem formam vide apud Montfaucon. Anal. p. 319), in aliis simplex C perinde atque in inscriptionibus Atticis saeculi quinti[1]. Saepius tamen in libris altera forma S reperitur, sed depravata illa quidem varios in ductus, quos hic exhibere non possum[2]. Et solent addi 107

---

4) Semel in cod. Paris. 2013 fol. 145ᵃ (tab. Her. V) inveni ͵ῑ, sed id a manu rec. ad genuinum ͵ᾱ adscriptum.

5) Idem testatur Montfaucon in Anal. Gr. p. 314. Sic α̈ legitur in Paris. 1670 fol. 66ᵇ, Monac. fol. 67ᵇ. Additur etiam hic obliqua linea, ut ͵α̈ in Vindob. 179, ͵ζ̈ in Paris. 2475; in eodem inveni etiam α̈. Quae vetustior eiusdem notationis forma fuerit, docet Ritschelius in Bibl. Alexandr. *(die Alexandrinischen Bibliotheken)* p. 120.

6) Cod. Paris. 2013. 2438.

1) V. Boeckh. *Staatshaush.* II p. 162, 22. 165, 32. 172, 25. 261. 267, 27 al.

2) Solet hoc S aut cum iis numeris qui antecedunt in unum coniungi, aut quasi iacens pingi et depravari in formas ℑ (fr. 73), υ dilatatum aliasque plurimas.

duae lineolae", quas ego omisi, quoniam certum est S per se significare dimidiam partem. In scriptura C" video vestigia vocis ἥμισυ.

Saepissime occurrit in libris Heronianis nota bessis sive διμοίρου ω"[3]), quae unde orta sit, re multum perquisita pro certo inveni. Nimirum Graeci plerumque iis fracturis utuntur quas simplices vocare licet, quarum numerator est I; δίμοιρον autem idem est ac semis cum sextante, sive Cς", unde contractum est ω". Praeterea aliis in codicibus, utique recentioribus, bessis nota est β transversa lineola distinctum, qua significari apparet duas partes, h. e. ipsum δίμοιρον.

Reliquae fracturae, tertia, quarta ceteraeque partes, in codicibus significantur orbiculo quodam ad litteram numeralem appicto duabusque obliquis lineolis additis. Ipsas formas exhibent Montfauconus (p. 319) et Maius in Didymo. Unde autem id sit ortum quaerentibus in prompta est quid respondeam. Etenim interdum in codicibus servatae sunt hae formae Γ̄ ͦͮ, ιδ̄ ͦͮ[4]), h. e. τρίτον, τεσσαρεσκαιδέκατον. Est igitur id compendium quod modo descripsi ortum ex ον, perinde ac τ̎ scribi solet pro τόν[5]). Ego in scriptura typis expressa abiecto orbiculo illo, qui quidem etiam in codicibus non raro omittitur, fractos numeros binis lineolis significavi, ut γ" δ" etc. Apud Hesychium (§ 103) restitui ͵ς" et ͵γ", h. e. partem sexies millesimam et ter millesimam.

Notum est Graecos fere semper ita expressisse fractos numeros, ut simplices partes enumerarent. Velut quas nos dicimis quadraginta tres partes ducentesimas vicesimas quartas ($\frac{43}{224}$), eas Graeci solverunt in ζ" κη" ριβ" σκδ"

---

3) Haec forma desumpta est e Paris. 1670, Monac. 165, Vindob. 309, eandemque exhibet Montfauc. p. 319; paullo aliam habent Paris. 2475 et Ambrosianus editus a Maio (quem vide); rursus alii ductus exstant in Paris. 2013 aliisque, ubi nota similis ei formae diphthongi ου quae olim vulgata erat.

4) Enotavi haec e cod. Paris. 2438 fol. 99[b]. 111[a].

5) Conf. Mehlhorn, *Griech. Gramm.* in tabula ad p. 9.

($\frac{1}{7} + \frac{1}{28} + \frac{1}{112} + \frac{1}{224}$), quarum partium summa idem efficit[6]). Interdum tamen etiam tales fracturae inveniuntur, quales nos frequentamus, quarum numerator est multiplus: tum is qui index vocatur bis scribendus est, velut ιζ′ κα″ κα″, h. e. ἑπτακαίδεκα εἰκοστόπρωτα[7]). Sed haec quia non tam ad scriptores metrologicos quam ad Heronem pertinent, iam missa facio atque omnino huic praefationi finem impono, qua etsi nequaquam omnia explicare et illustrare potui, tamen id me assecutum esse confido, ut iam ad hoc litterarum genus olim penitus abstrusum ac reconditum omnibus quorumcunque interest aditus pateat.

Conspectus numerorum quos in tabula V Heroniana codices exhibent.

Extremis his prolegomenis bene mihi occasionem oblatam esse existimo, ut huius scidae explendae gratia numerorum notas quas in tabula V Heroniana codices Parisini exhibent ex ordine describam. Quae tabula cum plurimos ac maxime varios numeros contineat, eadem omnino speciem praebet earum formarum quas aliis quoque locis in iisdem libris litterae numerales habere solent. 108

Codices Graeci Parisini

	P^a (1670)	P^d (2013)	P^e (2013)
1.	εἷς, μία, ἕν	idem	idem vel α′
2.	δύο vel μ^β	δύο vel β′	β′
3.	τρεῖς vel Γ	γ′	idem
4.	τέσσαρες vel δ′	δ′	idem
5.	πέντε vel ε′	ε′	idem
6.	ϛ′	idem	idem
7.	ζ′	idem	idem
8.	η′	idem	idem
9.	θ′	idem	idem
10.	δέκα vel ι′	ι′	idem
15.	ιε^π (duobus locis)	ιε′	idem

6) Legitur hoc exemplum apud Heronem mox nobis edendum in Stereom. I, 52, 2.

7) Idem Stereom. I, 8.

	P^a	P^d	P^e
20.	εἴκοcι vel κ	κ′	idem
25.	κε^π vel κε′	κε′	idem
30.	τριάκοντα vel λ	λ′	λ̄
35.	λε^π vel λε′	λε′	λ̄ε̄
40.	τεccάρακοντα vel μ′	μ′	idem
45.	μ^π ε^π	με′	μ̄ε̄
50.	πεντήκοντα vel ν′	ν′	idem
55.	νε′ in tribus Parisinis, ac similiter proximi numeri		
200.	C̄ vel σ′	σ′	idem
300.	τ̄ vel τ′	τ′	idem
400.	ῡ vel υ′	υ′	idem
500.	Φ^~ vel φ	φ′	idem
600.	Χ^- vel χ	χ′	idem
700.	Ψ^π vel ψ	ψ′	idem
800.	ω^π vel ϖ^π	ω′	ω̄ vel ω′
900.	ϡ^π vel ϡ^~	ϡ	ϡ′
1000.	χίλιοι vel α̣̑	α̣̃ vel ͵α′	ᾱ̣ vel ͵α′
2000.	͵β′ vel ͵β^~	—	͵β′ vel ͵β′
3000.	͵Γ^ vel ͵Γ^~	—	͵Γ̄
4000.	͵Δ′ vel ͵Δ^~	—	͵δ′
5000.	͵ε^ vel ͵ε^~	—	͵ε̄
6000.	͵ς^ (duobus locis)	—	͵ς̄
7000.	͵ζ^ vel ͵ζ^~	—	͵ζ̄
8000.	͵Η^ vel ͵η̄	—	͵η̄
9000.	͵Θ^ vel ͵θ^~	—	͵θ̄
10000.	μύριοι vel α̈	—	ᾱ̣

Addo denique e P^e compositos numeros ᾱ̣σ̄, ᾱ̣ῡ, ᾱ̣χ̄, ᾱ̣ω̄.

METROLOGICI SCRIPTORES

GRAECI.

I. Fragmenta de mensuris porrectis et quadratis.

1. *E Iulii Pollucis onomastico* (*2. 157. 158*).

(Vide prol. § 2.)

Τῶν δὲ μέτρων ἔστι μέν τι καὶ δάκτυλος· δοχμὴ 157
δὲ συγκλεισθέντες οἱ τέτταρες δάκτυλοι, καὶ δακτυλο-
δόχμη. τὸ δ' αὐτὸ καὶ παλαιστὴ θηλυκῶς καὶ παλαι-
στὴς ἀρρενικῶς, καὶ δῶρον, καὶ ἑκκαιδεκάδωρα τὰ
ἑκκαιδεκαπάλαιστα. τὸ δὲ ἀπὸ καρποῦ ἕως ἄκρων
δακτύλων, ἡ πᾶσα χείρ, ὀρθόδωρον. εἰ δὲ τοὺς δα-
κτύλους ἀποτείνας ἀπὸ τοῦ μεγάλου πρὸς τὸν μι-
κρότατον μετροῖς, σπιθαμὴ τὸ μέτρον· εἰ δὲ τὸν μέ- 158
γαν δάκτυλον τῷ λιχανῷ ἀντιτείνας, τὸ μέτρον λι-
χάς. ἀπὸ δὲ ὠλεκράνου πρὸς τὸν μέσον δάκτυλον
ἄκρον τὸ διάστημα πῆχυς. εἰ δὲ συγκάμψειας τοὺς
δακτύλους, ἀπ' ἀγκῶνος ἐπ' αὐτοὺς πυγὼν τὸ μέ-
τρον, εἰ δὲ συγκλείσειας, πυγμή. εἰ δ' ἄμφω τὰς χεῖ-
ρας ἐκτείνειας, ὡς καὶ τὸ στέρνον αὐταῖς συμμετρεῖν,
ὀργυιὰ καλεῖται τὸ μέτρον.

2. *Fragmentum a Greavesio allatum, quo mensurae a Polluce propositae illustrantur.*

(Vide prol. § 2.)

Ὁ μὲν δάκτυλος μέτρον ἐστὶ σμικρότατον. ἡ δὲ δοχμή ἐστι δακτύλων δ', ὅπερ μέτρον καὶ δακτυλο-

δόχμη παλαιστή τε καὶ δῶρον καλεῖται. ἡ δὲ λιχάς ἐστι δακτύλων ι΄, τὸ δ' ὀρθόδωρον ια΄, ἡ δὲ σπιθαμὴ ιβ΄, ὁ δὲ ποὺς δοχμῶν δ΄ ἤτοι δακτύλων ιϛ΄, ἡ δὲ πυγμὴ δακτύλων ιη΄, ὁ δὲ πυγὼν κ΄, ὁ δὲ πῆχυς κδ΄ ἤτοι δοχμῶν ϛ΄, ἡ δὲ ὀργυιὰ πήχεων δ΄ ἤτοι ποδῶν ϛ΄.

3. *Electa quaedam e Didymi libello de mensuris marmorum.*

(Vide prol. § 3. 14.)

1. *Ὁ πῆχυς ἔχει παλαιστὰς ϛ΄, δακτύλους κδ΄, πόδα Πτολομαϊκὸν α΄ς, Ῥωμαϊκὸν δὲ πόδα α΄ς ε΄΄ι΄΄.

2. Ὁ ποὺς ὁ Πτολομαϊκὸς ἔχει εὐθυμετρικοὺς παλαιστὰς δ΄, ἐμβαδικοὺς ιϛ΄, στερεοὺς ξδ΄. ὁ δὲ Ῥωμαϊκὸς ποὺς ἔχει εὐθυμετρικοὺς παλαιστὰς γ΄γ΄΄, ἐμβαδικοὺς δὲ ια΄ θ΄΄, στερεοὺς δὲ λϛ΄ κζ΄΄.

3. *Ἔχει δὲ καὶ λόγον ὁ Πτολομαϊκὸς ποὺς πρὸς τὸν βασιλικὸν πῆχυν κατὰ εὐθυμετρίαν ὡς β΄ πρὸς γ΄.

4. *Ὁ Ῥωμαϊκὸς ποὺς πρὸς τὸν βασιλικὸν πῆχυν λόγον ἔχει κατὰ εὐθυμετρίαν ὡς ε΄ πρὸς θ΄.

4. *Tabula Heroniana I.*

(Vide prol. § 15—20.)

[Ἥρωνος εἰσαγωγαί.]

1. Ἡ πρώτη γεωμετρία, καθὼς ἡμᾶς ὁ παλαιὸς διδάσκει λόγος, τὰ περὶ τὴν γαιῶν μέτρησιν καὶ διανομὴν κατησχολεῖτο, ὅθεν καὶ γεωμετρία ἐκλήθη. ἡ

---

21. Ἥρωνος εἰσαγωγαί om. N, Τοῦ αὐτοῦ Ἥ. εἰσ. M 22. Ἡ om. *Le* καθὼς] καθ' P^b 23. γαιῶν μέτρησιν N, γεωμετρίαν rel. (τοῖς περὶ τὴν γῆν μέτροις I^b) διανομὴν N, διανομὰς rel. (διανομαῖς I^b) 24. κατησχολεῖτο] διησχολεῖτο N (ἀπησχολοῦντο I^b)

γὰρ τῆς μετρήσεως ἐπίνοια παρ' Αἰγυπτίοις εὑρέθη διὰ τὴν τοῦ Νείλου ἀνάβασιν· πολλὰ γὰρ χωρία φανερὰ ὄντα πρὸ τῆς ἀναβάσεως τῇ ἀναβάσει ἀφανῆ ἐποίει, πολλὰ δὲ μετὰ τὴν ἀπόβασιν φανερὰ ἐγίνετο, καὶ οὐκέτι ἦν δυνατὸν ἕκαστον διακρῖναι τὰ ἴδια· ἐξ οὗ ἐπενόησαν οἱ Αἰγύπτιοι τήνδε τὴν μέτρησιν τῆς ἀπολειπομένης ὑπὸ τοῦ Νείλου γῆς· χρῶνται δὲ τῇ μετρήσει πρὸς ἑκάστην πλευρὰν τοῦ χωρίου ὅτε μὲν τῷ καλουμένῳ σχοινίῳ, ὅτε δὲ καλάμῳ, ὅτε δὲ πήχει, ὅτε δὲ καὶ ἑτέροις μέτροις· χρειώδους δὲ τοῦ πράγματος τοῖς ἀνθρώποις ὑπάρχοντος ἐπὶ πλέον προήχθη τὸ γεγονὸς ὥστε καὶ ἐπὶ τὰ στερεὰ σώματα χωρῆσαι τὴν διοίκησιν τῶν μετρήσεων καὶ τῶν διανομῶν.

2. Εἰς οὖν τὸν περὶ τῆς μετρήσεως λόγον ἀναγκαῖόν ἐστιν εἰδέναι τὴν τῶν μέτρων ἰδέαν, πρὸς ὃ βούλεταί τις ἀναμετρεῖν, καὶ ἑκάστου σχήματος τὸ εἶδος, καὶ πῶς δεῖ ἀναμετρεῖν. ὑποδείξομεν δὲ [πρῶτον] τὴν τῶν μέτρων ἰδέαν.

Περὶ εὐθυμετρικῶν.

3. Εὐθυμετρικὸν μὲν οὖν ἐστι πᾶν τὸ κατὰ μῆκος μόνον μετρούμενον [ὥσπερ ἐν ταῖς σκουτλώσεσιν οἱ

---

2. φανερὰ ὄντα χωρία C 4. ποιεῖ C καὶ ante μετὰ add. C ἀνάβασιν *Le* ἐγένετο PᵇNV, ἐγένοντο M 5. οὐκέτι] οὐκ N διακρίναι Pᵃ*MoLe*, διακρίνειν C Iᵇ ἐξ οὗ] διὰ τοῦτο C Iᵇ 7. ἀπολειμένης Pᵇ, ἀποληιμένης N ὑπὸ] ἀπὸ Pᵃ*MoLe*, διὰ C χρῶνται] χρᾶται N, χρᾶτε Pᵇ. 9. σχοίνῳ *Mo*, σωκαρίῳ *Le* καὶ ante καλάμῳ add. PᵇNM καὶ ante πήχει vitiose add. *Le* 10. δὲ τοῦ πράγματος] δεὶ πραγματείας Pᵇ, δὲ πραγματεῖας NMV 11. ὑπάρχοντος PᵃᵇM, ὑπαρχούσης NV 13. τῶν (ante μετρ.)] τὴν *Le* 19. πρῶτον om. Pᵃ*MoLe* 22. σκουλώσεσιν N

στροφίολοι καὶ ἐν τοῖς ξυλικοῖς τὰ κυμάτια καὶ ὅσα πρὸς μῆκος μόνον μετρεῖται].

4. Ἔστι τῶν μέτρων εἴδη τάδε· δάκτυλος, παλαιστής, διχάς, σπιθαμή, πούς, πυγών, πῆχυς, βῆμα, ξύλον, ὀργυιά, κάλαμος, ἄκενα, ἅμμα, πλέθρον, ἰούγερον, στάδιον, δίαυλον, μίλιον, σχοῖνος, παρασάγγης.

5. Ἐλάχιστον δὲ τούτων ἐστὶ δάκτυλος καὶ πάντα τὰ ἐλάττονα μόρια καλεῖται.

6. Ὁ μὲν οὖν παλαιστὴς ἔχει δακτύλους δ'.

7. Ἡ δὲ διχὰς παλαιστὰς β', δακτύλους η'.

8. Ἡ σπιθαμὴ ἔχει παλαιστὰς γ', δακτύλους ιβ'.

9. Ὁ ποὺς ὁ μὲν βασιλικὸς καὶ Φιλεταίρειος λεγόμενος ἔχει παλαιστὰς δ', δακτύλους ις'.

10. Ὁ δὲ Ἰταλικὸς ποὺς ἔχει δακτύλους ιγ' γ''.

11. Ἡ πυγὼν ἔχει παλαιστὰς ε', δακτύλους κ'.

12. Ὁ πῆχυς ἔχει παλαιστὰς ς', δακτύλους κδ'. [καλεῖται δὲ καὶ ξυλοπριστικὸς πῆχυς.]

13. Τὸ βῆμα ἔχει πῆχυν α' ω'', παλαιστὰς ι', δακτύλους μ'.

14. Τὸ ξύλον ἔχει πήχεις γ', πόδας δ'S, παλαιστὰς ιη', δακτύλους οβ'.

---

1. στροφύολοι C σκουλώσεσιν add. ante ἐν τοῖς P^b κύματα V 5. ξύλον usque ad ἅμμα om. V ἅμμα P^bN 8. 9. om. C 10. Ὁ] Ἡ N οὖν om. P^b 11. Ἡ] Ὁ P^b 13. Φιλεταίριος libri et hic et infra 15. γ''] τρίμοιρον *MoLe* 16. Ἡ] Ὁ P^bN*Le* παλαιστὰς] πόδας C δακτύλους κ' om. C 17. ἔχει om. C 18. καὶ ξυλοπριστικὸς] Ἰταλικὸς C 19. πήχεις *MoLe* ω''] δίμοιρον *MoLe* 21. § 14 legitur in C ante § 13 πόδας δ'S om. C S] ἥμισυ *MoLe*

15. Ἡ ὀργυιὰ ἔχει πήχεις δ΄, πόδας Φιλεταιρείους ϛ΄, Ἰταλικοὺς ζ΄ε΄΄.

16. Ὁ κάλαμος ἔχει πήχεις ϛ΄ ω΄΄, πόδας Φιλεταιρείους ι΄, Ἰταλικοὺς ιβ΄.

17. Τὸ ἅμμα ἔχει πήχεις μ΄, πόδας Φιλεταιρείους ξ΄, Ἰταλικοὺς οβ΄.

18. Τὸ πλέθρον ἔχει ἀκένας ι΄, πήχεις ξϛ΄ ω΄΄, πόδας Φιλεταιρείους μὲν ρ΄, Ἰταλικοὺς δὲ ρκ΄.

[19. Ἡ δὲ ἄκενα ἔχει πόδας Φιλεταιρείους ι΄, ἤτοι δακτύλους ρξ΄.]

20. Τὸ ἰούγερον ἔχει πλέθρα β΄, ἀκένας κ΄, πήχεις ρλγ΄ γ΄΄, πόδας Φιλεταιρείους μῆκος μὲν ϲ΄, πλάτος δὲ ρ΄, Ἰταλικοὺς δὲ τὸ μὲν μῆκος πόδας ϲμ΄, τὸ δὲ πλάτος ρκ΄· ὥς γίνεσθαι ἐμβαδικοὺς ἐν τετραγώνῳ β̈ ͵ηω΄

21. Τὸ στάδιον ἔχει πλέθρα ϛ΄, ἀκένας ξ΄, πήχεις υ΄, πόδας Φιλεταιρείους μὲν χ΄, Ἰταλικοὺς δὲ ψκ΄.

22. Τὸ δίαυλον ἔχει πλέθρα ιβ΄, ἤτοι στάδια β΄, ἀκένας ρκ΄, πήχεις ω΄, πόδας Φιλεταιρείους μὲν ͵ας΄, Ἰταλικοὺς δὲ πόδας ͵αυμ΄.

---

1. post ἔχει in P[b] e § 16 statim additur πήχ. ϛ΄ ω΄΄, deinde e § 17 πόδας Φιλεταιρικοὺς ξ΄, Ἰταλικούς οβ΄; reliqua om. 2. δὲ post Ἰταλικοὺς add. *Le* ε΄΄] πέμπτον μέρος *Mo*, καὶ πέμπτον μέρος *Le* 3. ω΄΄] δίμοιρον *MoLe* 5. ἅμμα N Φιλεταιρικοὺς P[b], idemque infra 7. δὲ ante πλέθρον add. P[b]N*Le* ἄκενας P[a] aliique et hic et infra ω΄΄] δίμοιρον *MoLe* 8. ρ΄] ἑκατόν N 9. 10. om. C 11. δύο N 12. γ΄΄] τρίμοιρον *MoLe* μήκους et πλάτους libri, corr. *Le* μὲν ante μήκους habent P[b]N, μὲν et compendium voculae καὶ eodem loco V, unde μὲν λ in M πλάτος δὲ ρ΄ om. C 13. τὸ μὲν μῆκος πόδας] πόδας μήκους C τὸ δὲ πλάτος] πλάτους πόδας C (per comp. scr.) 14. ὥς γίνεσθαι usque ad ͵ηω΄ om. C ἐμβάδους P[a] 16. πήχυς P[b] 18. σταδίους δύο πλέθρα ιβ΄ C

23. Τὸ μίλιον ἔχει στάδια ἑπτὰ ἥμισυ, πλέθρα με΄, ἀκένας υν΄, ὀργυιὰς ψν΄, βήματα ͵αω΄, πήχεις ͵γ, πόδας Φιλεταιρείους μὲν ͵δφ΄, Ἰταλικοὺς δὲ ͵ευ΄.

24. Ὁ σχοῖνος ἔχει μίλια δ΄, σταδίους λ΄.

25. Ὁ παρασάγγης ἔχει μίλια δ΄, σταδίους λ΄· ἔστι δὲ τὸ μέτρον Περσικόν.

[26. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν κατὰ τὴν παλαιὰν ἔκθεσιν· τὴν δὲ νῦν κρατοῦσαν δύναμιν ἐν τοῖς προοιμίοις τοῦ λόγου ὑπετάξαμεν.]

5. *Tabula Heroniana II.*

(Vide prol. § 21.)

1. Τὰ μὲν οὖν εὐθυμετρικὰ εἴδη εἰσὶν ια΄, δάκτυλος, οὐγγία, παλαιστή, σπιθαμή, πούς, πῆχυς, βῆμα, ὀργυιά, ἄκενα, πλέθρον, στάδιον.

2. Ἐλάχιστον δὲ τούτων ἐστὶ δάκτυλος, καὶ πάντα τὰ ἐλάττονα μόρια καλεῖται.

3. Ἡ οὐγγία ἔχει δακτύλους α΄ γ″.

4. Ἡ παλαιστὴ ἔχει δακτύλους δ΄, οὐγγίας γ΄.

5. Ἡ σπιθαμὴ ἔχει παλαιστὰς γ΄, δακτύλους ιβ΄.

6. Ὁ ποὺς ἔχει παλαιστὰς δ΄, δακτύλους ις΄.

7. Ὁ πῆχυς παλαιστὰς ϛ΄, δακτύλους κδ΄.

8. Τὸ βῆμα ἔχει παλαιστὰς ι΄, δακτύλους μ΄.

9. Ἡ ὀργυιὰ ἔχει δακτύλους ϙϛ΄, πόδας ϛ΄.

10. Ἡ ἄκενα ἔχει δακτύλους ρξ΄, πόδας ι΄ Φιλεταιρείους, καλεῖται δὲ ῥωμαϊστὶ περτικά.

---

1. ἑπτὰ ἥμισυ] ζ΄ 𐅵″ P^bVM 2. ὀργυιὰς ψν΄ βήματα ͵αω΄ om. C 4. Ὁ] Ἡ P^a *Mo Le* 6. τὸ om. *Le* 7. § 26 om. C 13. ὀγγία P^b παλαιστῆς libri (vide praef. crit.) 18. Ἡ] Ὁ P^bV παλαιστῆς libri 21. Ὁ om. N 24. Φιλεταιρίους NVM, Φιλεταιρικοὺς P^b 25. ῥωμαϊστὴ P^b περτικά] ϛερτίκα V, τερτίκα P^bM

11. Τὸ πλέθρον ἔχει τὸ Ἑλληνικὸν πόδας ρ' τὸ μῆκος καὶ τὸ πλάτος ρ', ἐν τετραγώνῳ ᾱ.

12. Τὸ ἰούγερον ἔχει [τὸ Ἑλληνικὸν] τὸ μὲν μῆκος πόδας σμ', τὸ δὲ πλάτος ρκ' ὡς γίνεσθαι ἐμβαδικοὺς ἐν τετραγώνῳ μυριάδας β' ͵ηω'.

13. Τὸ στάδιον ἔχει πλέθρα ϛ', ἀκένας ξ'.

14. Τὸ μίλιον ἔχει πόδας ͵ε, βήματα ͵β, ἀκένας φ'.

15. Ἡ οὐγγία ἔχει ἐν τετραγώνῳ δάκτυλον α'ϣ''θ''.

16. Ἡ παλαιστὴ ἔχει ἐν τετραγώνῳ δακτύλους ιϛ'· ἡ δὲ στερεὰ παλαιστὴ ἔχει οὐγγίας κζ', δακτύλους ξδ'.

17. Ἡ δὲ τετράγωνος σπιθαμὴ ἔχει οὐγγίας πα', δακτύλους ρμδ'· ἡ δὲ στερεὰ σπιθαμὴ ἔχει οὐγγίας ψκθ', δακτύλους ͵αψκη'.

18. Ὁ ποὺς ὁ τετράγωνος ἔχει οὐγγίας ρμδ', δακτύλους σνϛ', στερεὸς δὲ οὐγγίας ͵αψκη', δακτύλους ͵δϘϛ'.

19. . . . ὁ δὲ στερεὸς πῆχυς ἔχει οὐγγίας ͵εωλβ', παλαιστὰς σιϛ', δακτύλους ᾱ ͵γωκδ'.

20. Τὸ βῆμα ἔχει ἐν τετραγώνῳ παλαιστὰς ρ', οὐγγίας Ϡ', δακτύλους ͵αχ'.

21. Ἡ τετράγωνος ὀργυιὰ ἔχει πόδας λϛ', ἡ δὲ τετράγωνος ἄκενα ἔχει πόδας ρ' Φιλεταιρείους.

---

2. μὲν ante μῆκος add. P[b] πλάτος om. M πόδας ante ρ' add. P[b]VM ᾱ om. libri 4. πόδας] ποδῶν P[b]M ἐμβαδοὺς libri 5. μυριᾶ͂ (δ superscr.) VM, μυριάδες P[b]N 9. Ἡ παλαιστὴς N, Ὁ παλαιστὴς P[b]VM 10. ἡ δὲ ἑτέρα παλαιστὴς N, ὁ δὲ ἕτερος παλαιστὴς P[b]VM 11. Ὁ P[b] 12. ἡ] Ὁ P[b] ἑτέρα libri 14. ὁ ante τετρ. om. N οὐγγίας bis habet P[b] ρμδ' ad 15. οὐγγίας om. V. 15. στερεὰς P[b]NM 17. Initio addenda videntur: Ὁ τετράγωνος πῆχυς ἔχει οὐγγίας τκδ', δακτύλους φοϛ' 18. ᾱ ͵γωκδ'] αγωδ N teste *Ma* 20. ͵αχ'] ante hoc N add. ͵αψ 22. Φιλεταιρείους] στερεοὺς libri, quod eiiciendum censebat *Le*

6. *Tabula Heroniana III.*

(Vide prol. § 22.)

1. Εἰδέναι χρή, ὅτι δάκτυλος πρῶτός ἐστιν ὥσπερ καὶ μονάς.

2. Ἡ παλαιστὴ δακτύλους ἔχει δ'.

3. Ὁ ποὺς ἔχει παλαιστὰς δ'.

4. Ὁ πῆχυς ἔχει πόδας α'S, τουτέστι παλαιστὰς ϛ', δακτύλους κδ'.

5. Τὸ βῆμα ἔχει πῆχυν α' καὶ πόδα α', ὅ ἐστι πόδας β'S, παλαιστὰς ι', δακτύλους μ'.

6. Ἡ ὀργυιὰ ἔχει βήματα β' καὶ πόδα α', ὅ ἐστι πήχεις δ', τουτέστι πόδας ϛ', παλαιστὰς κδ', δακτύλους Ϙϛ'.

7. Ἡ ἄκενα ἔχει ὀργυιὰν α' ω'', ὅ ἐστι βήματα τέσσαρα, τουτέστι πήχεις ϛ' καὶ πόδα α', τουτέστι πόδας ι', παλαιστὰς μ', δακτύλους ρξ'.

8. Τὸ πλέθρον ἔχει ἀκένας ι' — γίνονται ὀργυιαὶ ιϛ' πόδες δ' — τουτέστι βήματα μ', ἢ πήχεις ξϛ' καὶ πόδα α', πόδας ρ', παλαιστὰς υ'.

9. Τὸ στάδιον ἔχει πλέθρα ϛ', ἀκένας ξ', ὀργυιὰς ρ', βήματα σμ', πήχεις υ', πόδας χ'.

10. Τὸ μίλιον ἔχει στάδια ζ' ἥμισυ, πλέθρα με', ἀκένας υν', ὀργυιὰς ψν', βήματα ͵αω', πήχεις ͵γ, πόδας ͵δφ'.

7. *Tabula Heroniana IV.*

(Vide prol. § 23.)

[Ἥρωνος μετρικά.]

1. Τὸ ἰούγερον ἔχει ἀκαίνας ϲ' γεϊκῶν ποδῶν ͵βυ'. μήκους γὰρ ἔχει ἀκαίνας κδ', διαιρεῖται δὲ εἰς κ' μέρη

---

8. κδ'] δ' cod. 14. ὀργυῖαν cod. δίμοιρον *Vincent.* 17. ἄκενας cod., idem etiam infra γίνονται] γι' cod., om. *Vinc.* ὀργυιὰς et πόδας *Vinc.*

ἀνὰ ιβ', γίνονται πόδες σμ'. πλάτους δὲ ἔχει δώδεκα ἀκαίνας, γίνονται πόδες ρκ'· ἐὰν δὲ τὸ μῆκος ἐπὶ τὸ πλάτος, γίνονται πόδες β̈ ͵ηω'.

2. Ἡ ἄκαινα πόδας ἔχει ιβ', γίνονται παλαισταὶ μη'.

3. Ὁ ποὺς ἔχει παλαιστὰς δ', δακτύλους ιϛ'.

4. Ὁ πῆχυς ὁ εὐθυμετρικὸς ἔχει πόδα ἕνα C· ὁ πῆχυς ὁ λιθικὸς ἔχει ὁμοίως πόδα α'C, δακτύλους κδ'.

[5. Ἐὰν τὸ πλάτος τοὺς κδ' ἐπὶ τοὺς κδ', γίνονται δάκτυλοι φοϛ'· τούτους ἐπὶ τὸ πάχος γίνονται ἀγελαῖοι δάκτυλοι ᾱ ͵γωκδ'.]

8. *Tabula Heroniana V.*

(Vide prol. § 24—27.)

1. Τὰ δὲ μέτρα ἐξεύρηνται ἐξ ἀνθρωπίνων μελῶν, δακτύλου, [κονδύλου,] παλαιστοῦ, σπιθαμῆς, ποδός, πήχεως, βήματος, ὀργυιᾶς καὶ λοιπῶν.

2. Πάντων δὲ ἐλαχιστότερός ἐστιν ὁ δάκτυλος, ὅστις καὶ μονὰς καλεῖται· διαιρεῖται δὲ ἔσθ' ὅτε μὲν καὶ εἰς ἥμισυ καὶ τρίτον καὶ λοιπὰ μόρια.

3. Μετὰ δὲ τὸν δάκτυλον, ὅς ἐστι μέρος ἐλάχιστον πάντων, ἔστιν [ὁ κόνδυλος, ὃς ἔχει δακτύλους δύο.

---

1. πόδες] πο P^c, om. *Le* δώδεκα] Δ P^c 3. ͵βω̅ P^c, corr. *Le* 4. γίνονται παλαισταὶ P^c, γίνεται παλαιστὰς *Le* 5. μη'] μ̅ P^c 7. πόδα] ποδ P^c ἕνα] ᾱ *Le* 10. φοϛ'] φοβ' P^c.

homine sacrarum litterarum studioso, qui Phidoni pagano hunc honorem tribui nollet, ut primus pondera invenisse diceretur; ac praeterea ipse Isidorus viam glossematis adscribendi quasi praemonstraverat his verbis: *et licet alii antiquiores extiterint*. Iam hoc breve glossema quod in A deprehenditur, in Monacensibus libris atque Gudiano I quo Otto usus est sic est amplificatum: *Primus Moyses qui omnes antecedit gentilium philosophos* (*filosofos* B[1]) *tempore novit* (*nobis* Otto) *et numeros et mensuras et pondus in diversis scripturae suae* (*scripturisue* B[1]) *locis narravit*. Tertia autem eiusdem glossematis forma vulgata erat ante Ottonem: *Primus Moyses in heremo filiis Israel pondera et mensuras dedit*; quarta est in Gudiano II: *Primus Moyses Hebraeis, prius Sidon Argivis ponderum rationem* cet. Tantam igitur corruptelarum labem una brevior glossa secum traxit. quo demonstrato facilius ab omnibus concedetur etiam in A haec interpolata esse quae iam in conspectu propositurus sum: p. 108, 1 *undique* ex vs. 3 inculcatum est ab homine qui *quoque* coniunctionem esse putaret. Sed et haec ipsa coniunctio aliena est ab hac tabula mensurarum et *undique versum* minus aptum quam *quoque versum*. Nam aut sic scripsit Isidorus (ut Caesar d. b. G. 3, 23, 2 et *quoque versus* idem 7, 4, 5. 14, 5) aut *quoquo versum* cum Columella, quem omnino in hac tabula componenda secutus est (v. fr. 111 § 4). — p. 111, 11 *ea* obscurum est post verba *haec et moneta vocata* et haec ipsa per se suspecta; quibus eiectis omnis oratio bene procedit. — p. 112, 12 verba *latine* etc. variant eam sententiam quae § 9 legitur; ab hoc autem loco aliena sunt. — p. 115, 9 non potest Isidoro tanta barbaries tribui, ut *talentum minor medius* cet. dixerit, haec igitur omnia sine dubio eiicienda (eadem corruptissima esse iudicat Ritschelius ad Plaut. Most. v. 647), nec quidquam operae in his explicandis perdendum. — p. 116, 10 *qui triplicatus* est coclear, eadem igitur Latini sermonis ignorantia hoc etiam loco prodit interpolatorem. — p. 118, 2 ss. haec omnia variata sunt ad similitudinem eorum quae antea scripsit ipse Isidorus. — p. 119, 8 verba *modius enim* cet. partim repetita sunt ex

initio eiusdem paragraphi, partim plane aliena ab Isidori argumento; atque etiam vestigia quaedam in B et C glossema indicant.

Praeterea haec fere adnotanda videntur: p. 109, 2 *lira* ex C (B), non *lyra* cum A, scripsimus secundum Columellam 2, 4, 8: *liras autem rustici vocant easdem porcas, cum sic aratum est, ut inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis praebeat.* Quamquam huius ipsius loci comparatio aliam suspitionem movet, utrum genuina illa sint quae contorta e Columellae verbis apud Isidorum leguntur, an ea quoque interpolata. — P. 112, 16 negari vix posse existimo, quin post *accepit* interciderit Graecum ὀβολός (an ὀβελός?); atque idem valere videtur ad eiusdem paginae vs. 9, ubi Graecam appellationem eius arboris restituendam esse duxi, cuius fructus graece κεράτια, latine siliquae vocantur (conf. vol. I p. 89). Vide praeterea infra ad p. 120, 4. — P. 113, 2 *argenti* non tentandum, quamvis proclive videatur *argentei* scribere: conf. p. 121, 22. — P. 114, 5 scripturam codicis A *appendeat* comprobant excerpta ex Isidoro p. 140, 17 (*appendent* pro *appendunt*) et Apic. 8, 7 extr. (*appendeas*) — P. 114, 14, ubi vulgatum *vinciat* retinui, Isidorus *uniciat* scripsisse videtur ex novo quodam verbo *unicire*, quod similiter finxerit ac p. 117, 9 *congire.* — P. 116, 3 dubitatio relinquitur de activa forma *metire*, quam pro *metiri* habent AC. Mihi ex iis locis quos novi haec de Isidori usu loquendi regula constituenda videtur, eum activis formis abstinere, passivis autem promiscue et activam et passivam vim tribuere. Nam leguntur cum vi activa *metitur* p. 114, 17. 119, 16 et *metiuntur* p. 116, 6; contra cum vi passiva *metitur* p. 117, 7 et *metiatur* p. 120, 16. — P. 116, 19 de *cote* vide supra ad fr. 122. — P. 118, 12 integrum est *eo* in verbis *inde tracta est eo quod*: conf. p. 113, 15 *ideo — eo quod*, et p. 121, 20 *propterea — eo quod.* — P. 120, 4 verba *haec graece a figura sui* cet. per se ita explicari possunt, ut *amphora* inepte ex ἀμφί et *auris* derivatum esse dicas. Verum certe Isidorus ipse hac culpa purgandus est, qui *amphora* recte ex ἀμφί et φέρειν duxerit (vs. 3).

Ergo aut illa quae dixi interpolata sunt, aut Isidori genuina oratio turbata est eo loco, ubi *dicta dicitur* in A suspectum est collatis reliquis codicibus. Quodsi pro *dicta* interponas Graecum ὤατον, quod vocabulum servatum est in Heronianis reliquiis (Ster. II. 3. 25), nihil iam suspecti hoc loco relinquitur. — P. 123, 7 notam talenti T^, in omnibus libris corruptam, servavit integram codex Mutinensis fr. 136, 22.

128. Vide Gromat. ed. Lachmann. p. 95, 11—96, 20.

129. V. ibidem p. 245, 5—246, 6. Ad hanc tabulam omnem codicis Arceriani (*A*) variam scripturam ex Lachmanni editione repetivi.

130. 131. V. ibidem p. 354, 2—10 et p. 359, 11.

132. Tabulam codicis Bobiensis repetivi ex Endlicheri libro: vide prol. § 122 adn. 1.

133. Tabulam ponderum ac mensurarum e codice Bernensi 83 saec. IX et X (fol. 84[b]) descriptam comiter ad me misit Car. Halmius. Hic primum offendit ingratissima illa difficultas, quae ad proxima quoque fragmenta pertinet, ut notae ponderum ac mensurarum apte et commode ex codicibus manu scriptis in hunc librum typis expressum transferrentur. Primum enim, ut iam in priore volumine significavi, non licuit contendere, ut tanti sumptus in excudendas novas formas fierent; tum vero ne utile quidem esse duxi depravatos codicum ductus typis repetere. Ita cum diu fluctuassem iudicio, quo modo ex his angustiis salva fide quae criticum decet me expedirem, hanc rationem sequendam esse existimavi: primum, ubicunque notas manu scriptas depravatas esse appareret ex antiquioribus et integris, has infra edidi, illas autem depravatas hic in praefatione aut verbis descripsi aut novis typis expressi; deinde, sicubi nota manu scripta non comparari posset cum antiquiore ulla, illam ipsam infra edidi; denique extrema hac praefatione conspectum quendam omnium notarum confeci. — Iam ut ad propositum perveniam, primum explicandae sunt notae quibus assis partes et in hac tabula et in proximis librarii veterum codicum expresserunt. S e x t a n t i s sive duarum unciarum nota in codice Bernensi est 𐆒, similis fere in Gudiano, quam vide apud Lachman-

num in Gromat. p. 339, 27; paulo diversa legitur in Mutinensi libro sic fere Ʒ (fr. 135 § 14). Tum in eodem Mutinensi aliis locis ea forma comparet quae simillima est Graecae litterae Ꝃ, quam expressit Christius, cum ex codice Bambergensi saec. X et XI Victorium et Abbonem edidit, p. 136 vs. 7, p. 141 cet.[1]). Ego ubique Graecum Ꝃ dedi; antiquior autem forma fuit Z, quae saepius reperitur in Frontini codice Cassinensi. Iam huic sextantis notae si additur brevis lineola oblique ducta (quae proprie transversa esse debuit sic –, unciam sigificans), fit quadrans, sic Ꝃ′. Sed hi ductus, quod nemo mirabitur, in codicibus in unum contracti sunt: vide Lachmann. p. 339, 28, Christ. p. 136 vs. 13, p. 141 vs. 16, p. 143 cet. Porro triens est duplicata sextantis nota, sic ꝂꝂ, tum quincunx constat ex sextante et quadrante, sic ꝂꝂ′. Haec accurate expressit Lachmannus p. 339, 29, p. 340, 1. Et in codice Bernensi eodem modo triens contractus est ex duplicata sextantis nota quam supra exhibui, quincunx eadem duplicata et virgula obliqua addita exaratus. In Mutinensi autem et Bambergensi codice hae notae turbatae sunt, siquidem triens compositus est ex quadrante et semisse, Ꝃ′S (Christ. p. 143 vs. 21), quincunx ex quadrante et septunce, Ꝃ′S′ (Christ. ibid. vs. 20), quae perversa esse apparet. — Sequitur semis, cuius antiquam notam S ita tantum mutavit librarius codicis Bernensis, ut cornua supra et infra paulo brevius duceret. In Mutinensi codice itemque in Gudiano (apud Lachmann. p. 339, 7. 8. 340, 2 ss.) ductus exstant admodum similes notae S. Denique in Bambergensi S ita extenuatum est, ut accedat ad formam S (v. Christ p. 143, 19 cet.). Tum fit septunx addito unciali ductu, S′, qui ductus rursus in unum contracti sunt in codicibus. Bes compositus est ex semisse et sextante, SꝂ, dodrans ex semisse et quadrante, SꝂ′, dextans ex semisse et triente, SꝂꝂ, denique deunx ex semisse et quincunce, SꝂꝂ′. Haec omnia satis perspicue exarata sunt in Ber-

1) Ubicumque infra de his notis breviter Christium citabo, scito intellegi eius commentarium de Victorii argumento calculandi (*Sitzungsberichte der Münchener Akad.* 1863. I. p. 100 ss.).

nensi, eadem diligenter expressa a Lachmanno, perturbata autem in Mutinensi et Bambergensi. Ac de Bambergensi quidem vide Christium p. 143 vs. 14—17: in Mutinensi bessis nota est SS, dodrantis SS', dextantis SSS, deuncis S' S' S'.

Haec in universum de notis partium assis disserenda fuerunt: iam redimus ad ipsam codicis Bernensis tabulam et singula persequimur paragraphorum ordine. — § 12. In sescunciae nota lineola quae unciam significat per ipsum Ɛ perducta est sic £, similiter atque in codice Gudiano (apud Lachm. p. 339, 26). — § 15. Barbara vox *siclosescli* composita est ex siclo et *sescli*, i. e. sextula; nota igitur huius ponderis haec esse debuit, Ɔᵘ, quae corrupta est in codice in ?ᵟ. — § 16. *Duo sescli* sunt duae sextulae, quarum nota e binis υ in codice hunc fere in modum contracta est, ω, sed extremus ductus ad dexteram partem paulo productus est. — § 17. *Siclus* est sicilicus, cuius integra nota est Ɔ, quae sic corrupta in codice, Ɑ. — § 18. *Sescli* est sextula, cuius antiquam notam \ habent Maeciani libri, similem codex Gudianus (Lachmann. p. 339, 21); recentior nota υ exstat in codice Bambergensi (Christ. p. 143 extr.) et Mutinensi. In Bernensi sic fere corrupte scriptum, I_ : ego edidi υ convenienter cum nota binarum sextularum. — § 19. Dimidiae sextulae nota in codice est ⱶ; ego eandem notam edidi atque apud Maecianum, ⅄. — § 20. Scripuli nota ⅄ eadem atque apud Maecianum legitur in codice, nisi quod lineola transversa paulo in obliquum ducta est. — § 21. Hic incipit secunda pars tabulae diversa a priore: ac porro etiam tertiam, quartam, quintam partem distinxi. — § 22. *Scribolus*, i. e. scripulus, in codice exaratus est per illam sicli notam quam modo ad § 15 exhibui, sed eam oblique perscriptam: voluit librarius genuinum ∋ exhibere. — § 23. Dragmae nota in codice est I ÷, corrupta ex < vel <ᵒ: ego edidi <. — § 28. Scripuli nota in codice eadem est ac supra § 22. Ceterum verba huius et prioris sectionis foede interpolata sunt: voluisse videtur is qui primus haec adscripsit

÷ Obolus medius scripulus.
∋ Scripulus denr. I.
⅄ id est denr. II.

§ 29. Sextarii nota est S perscripta: debuit esse Ꞩ. — § 31. Nota cotylae LS unde orta sit, non liquet: genuinum est K°. — § 32. Sextarii nota eadem quae § 29. — § 33. Corruptam cyathi notam talem qualis in codice est repetivi: debuit esse K^u. — Ibidem et § 34 dragmae nota est L꞉, similis ac supra § 23.

134. Hanc tabulam Lachmannus in Gromat. p. 339 s. edidit e codice Gudiano 105 saec. IX vel X (v. Blumium in Gromat. vol. II p. 42), quocum tantum non in omnibus rebus consentire dicitur Vaticanus 1564, olim Palatinus. Constat hoc fragmentum ex duabus partibus et re et auctoritate diversis. Nam prior pars quae est de mensuris porrectis et quadratis simillima est antiquioribus eius generis tabulis; altera autem pars exhibet ponderum appellationes incredibilem in modum corruptas. Quorum notas iis de causis quae supra demonstratae sunt paulo diversas edidimus a Lachmannianis e Gudiano repetitis; nam § 18 et 19 notae dimidiae sextulae et sextulae paene iacentes expressae sunt apud Lachmannum, et § 20 sicilici nota ibidem est ʔ dexteram versus partem iacens. Atque etiam § 21 nota binarum sextularum aliquatenus differt. De partibus assis (§ 24—34) supra dictum est ad fr. 133.

135. Hanc et proximam tabulam e duobus codicibus Mutinensibus descripsit D. Detlefsenus, idque apographum mihi concessit. Atque haec prior tabula in cod. 580 (IV. H. B) saec. XIII ineuntis adiuncta est Sereni Sammonici carmini. — § 1—12 notas omnes sic exhibui quales sunt in codice, nisi quod scripuli nota (§ 5) similior est binis SS perscriptis, perinde atque in codice Bambergensi (v. Christ. p. 142 extr., p. 143 vs. 10. 13). — § 13 sescunciae nota est Ꞩ perscriptum: vide ad fr. 133 § 12. — § 14 ss. de notis v. praef. ad fr. 133 init. — § 24 mira est assis nota X, quam tamen ut ab auctore non spernendo traditam nolui immutare.

136. Hoc fragmentum legitur in codice Mutinensi 190 (V. C. 37) saec. XV med. Id plane compositum est secundum Isidorum (apud nos fr. 127). Maximi autem momenti esse videtur quod hic codex Mutinensis quamvis recentissimus talenti notam (§ 21) fere integram, ut videtur, habet,

cum eadem iam in antiquissimo Isidori libro (fr. 127 § 20) corrupta legatur. Quapropter altera huius codicis varietas minime neglegenda est, qui § 11 addat dimidii solidi notam. Haec cum in codice sic fere exarata sit, IG (conf. variam scripturam ad p. 122, 4), latere hic videtur illa semissis nota quam ex codice Vaticano descripsit Blumius in Gromat. vol. II p. 43. Tum pro *uita*, corrupta codicis scriptura, haud dubie scribendum erat *virga*: conf. Abbonem apud Christium p. 141 vs. 12: *ipsique figurae si e latere iungatur virga.*

137—139. Primam partem reliquiarum ex Isidoro excerptarum, quae est de mensuris agrorum et itinerum (fr. 137), Lachmannus in Gromat. p. 371—373, 19 edidit ex cod. Gudiano 105 (*G*). Nobis Wolfg. Helbigius contulit codicem Vaticanum 3852 fol. 124^b (*V*). — In Gudiano libro continuo adscripta sunt duo alia fragmenta ex Isidoro excerpta, alterum *de ponderibus*, alterum *de mensuris in liquidis* (fr. 138. 139), quae nos repetivimus secundum Lachmanni editionem et adnotavimus, sicubi Gudianus a nostra scriptura dicreparet. Vaticani autem libri auctoritate ad haec duo fragmenta edenda uti non licuit; quod unde factum sit, sic aptissime demonstrabo, ut Helbigii verba de ea re ad me scripta repetam: *In dem Codex sind die Blätter verheftet, was die Uebersicht ausserordentlich erschwert. . . Nachdem ich den Codex Blatt für Blatt durchgesehen habe, bin ich zu der Gewissheit gekommen, dass die beiden Tractate* de ponderibus *und* de mensuris in liquidis *in der von Lachmann herausgegebenen Form nicht in dem Codex stehen. Nach dem Ende des Tractates* de mensuris [fr. 137] *folgt in dem Codex ein Excerpt aus einer Abhandlung des h. Eucherius* de uariis uocabulis. *Fol. 109^b beginnt ein Tractat* de ponderibus, *dem eine Abhandlung* de gemmis *vorhergeht. Er fängt an* Corporalia sicut scriptum est admissusque ad imum in mensura et numero et pondere disposita sunt atque formata. cunctis enim corporeis rebus pondus *etc.* [conf. Isidor. fr. 125, 1]. *Hierauf folgen Bemerkungen über Gewichte und Münzen, welche zum Theil dem Lachmannschen Tractat nahe verwandt sind.*

Doch ist die Form theils ausführlicher, theils gedrängter. Das Ende lautet centenarium numeri nomen est eo quod centum librarum ponderis sit, quod pondus propter perfectionem centenarii numeri instituerunt romani [conf. Isid. fr. 125, 23]. *Hierauf folgt fol. 111* de mensuris. *Der Anfang lautet* mensura est res aliqua modo suo uel tempore circumscripta. haec aut corporis est aut temporis [conf. Isid. fr. 126, 1]; *das Ende* coaceruati enim modii triginta instar collis uidentur et onus camelli efficiunt [conf. ibid. § 22]. *Die Bemerkungen auch dieses Tractates sind dem Inhalt nach mit dem Lachmannschen Texte beinahe identisch, aber verschieden abgefasst.* Haec Helbigius: unde satis apparet aliam formam excerptorum *de ponderibus* et *de mensuris in liquidis* inesse in Vaticano codice atque in Gudiano, atque eandem propius accedere videri ad ipsa Isidori verba quam Gudianum contextum a Lachmanno editum. — Denique hoc loco commemorandum est in cod. Parisino 8680 omnia tria fragmenta eodem ordine et eadem forma atque in Gudiano legi, sicut docet Mommsenus ad Volus. Maec. p. 287, qui Parisinum librum levissimis tantum rebus a Gudiano discrepantem, ex hoc ipso descriptum esse suspicatur.

140. Salmasius in Refut. utriusque elenchi Cercopetaviani p. 25 affert *vetus fragmentum latinum de ponderibus in Antidotario R. B.* (i. e. Regiae bibliothecae), quod nos non omittendum esse duximus. Repetitum est ex Isidor. fr. 125, 17.

141. Calvi versionem repetivi ex ipsa Hippocratis editione principe Romana (= *Ro*), cuius exemplo Berolinensi uti mihi licuit (vide prol. § 114 adn. 1), ubi haec Calvi interpretatio legitur p. DCXCVIII s. (in Basileensi repetitione p. 472 s.).

Restat denique ut conspectum variarum notarum quibus pondera et mensurae in his reliquiis significantur proponam; ac primum quidem assis partes suo ordine usque ad scripulum, tum reliquas notas secundum litteras persequar.

Assis partes duodenarias constat omnes duabus notis semissis et unciae significari, unciae autem antiquissimam notam fuisse globulum vel punctum. Ut de nummis taceam, puncta incisa sunt in lege parieti faciundo; est igitur :· quadrans (C. I. L. vol. I 577, 1, 14), :: triens (ibid. 2, 2. 22), S: bes (ibid. 1, 16), S:· dodrans (ibid. 2, 24). Alia eiusdem notationis exempla affert Marinus (*atti de' fratelli arvali* vol. I p. 228 vs. 14 ab ult.); idem vero mihi quidem dubitationem relinquit, habeatne inscriptio quam p. CXXX edidit puncta an, ut ille expressit, lineolas sic ∾ curvatas. Tum in codice Cassinensi Frontini praeter lineolas saepe puncta reperiri compertum habemus diligenti F. Buecheleri cura (vide eius edit. p. XI. 19, 1. 6. 14). Sed in his metrologicorum scriptorum reliquiis semel punctum exstat in sescunciae nota hac Ƹ·, quae est in codice Vaticano Maeciani (vide infra p. XXVII); reliquis locis uncia notari solet lineola transversa —, perinde atque in codice Cassinensi Frontini et in inscriptionibus (Marini l. c. p. 228 vs. 5 ss.), quae interdum aut curvatur sic ∾ (vide infra p. XXVII, Marini p. 227 s.), aut ubi excurrens uncia deuncis, dodrantis, quincuncis, quadrantis significatur, vel directa est (ut in deunce S=≡l), vel oblique ponitur (vide infra deuncis, dodrantis, unciae notas, Buechelerum l. c. ad p. 22, 4. 7. 10).

Semunciae nota in lege parieti faciundo est Ɛ (577, 2, 4. 22); in libris manu scriptis fere ubique exaratum est Ƹ; inveniuntur tamen etiam aliae formae quae ex antiquiore usu servatae esse videntur (vide infra p. XXVII, Buecheler. ad p. 18, 23. 19, 13. 17. 18. 20, 4 cet.). Ego apud Maecianum edidi ≮ secutus Mommsenum in hist. numm. Rom. p. 199.

AS.

I 127, 13. 130, 24.
† 82, 7 *Prisc.*
X praef. p. XXII ad 135 § 24. p. 132, 6.

DEUNX.

S==– 63, 4. 68, 23 *Maec.*
S==| cod. Vatic. Maeciani apud Mommsen. ad p. 289, 16.
S==′ codices Maeciani ibid. ad p. 293, 15.
SZZ′ praef. p. xx. 127, 14. 130, 23. 132, 5.

DEXTANS.

S== 62, 32. 68, 20 *Maec.*
SZZ praef. p. xx. 127, 15. 130, 22. 132, 4.

DODRANS.

S=– 62, 28. 68, 14. 17 *Maec.*
S=| cod. Vatic. Maeciani apud Mommsen. ad p. 289, 10.
S=′ codices Maeciani ibid. ad p. 293, 8.
SZ′ praef. p. xx. 127, 16. 130, 21. 132, 3.

BES.

S= 62, 24. 68, 12 *Maec.*
SZ praef. p. xx. 127, 17. 130, 20. 132, 2; eadem nota restituenda videtur 126, 20 s., ubi omisso *uncias*, quod coniectura addidi, post *libras* lxxx pro VIII nunc scribi malim SZ.

SEPTUNX.

S– 62, 20. 68, 9 *Maec.*
S′ praef. p. xx. 127, 18. 130, 19. 132, 1.

SEMIS.

S praef. p. xx. 19. 62, 2. 68, 4. 6. 69, 32. 70, 3. 7. 11 *Maec.* 82, 9 *Prisc.* 128, 17. 18.
S praef. p. xx.
S praef. p. xx. 127, 19. 129, 22. 23. 130, 18. 131, 24.

QUINCUNX.

==– 18. 62, 18. 68, 1 *Maec.*
==| codices Maeciani apud Mommsen. ad p. 289, 3.
ZZ′ praef. p. xx. 127, 20. 130, 17. 131, 23.

TRIENS.

= = 62, 4. 67, 28 *Maec.*
ZZ praef. p. vi. xx. 59, 24. 61, 1 *Hyg.* 127, 21. 130, 16. 131, 22.

QUADRANS.

=– 62, 6. 67, 22. 25 *Maec.*
= ~ cod. Paris. Maeciani apud Mommsen. ad p. 292, 23.
Z′ praef. p. xx. 127, 22. *v. scr.* ad 128, 18. 130, 15. 131, 21.

SEXTANS.

= 62, 7. 67, 20 *Maec.*
Z praef. p. xx. (Buecheler. ad Frontin. d. aqu. p. xi. 18, 21. 23. 19, 8. 11. 14. 19 cet.)
Z praef. p. xx. 127, 23. 130, 14. 131, 20: de aliis huius notae formis vide supra p. xix extr. xx.

SESCUNCIA.

Σ– 62, 9. 67, 18 *Maec.*
£– codices Maeciani apud Mommsen. ad p. 288, 17.
£· cod. Vatic. Maeciani ibid. ad p. 292, 18.
£ praef. p. xxi ad § 12. xxii ad 135 § 13. cod. Paris. Maeciani apud Mommsen. ad p. 292, 18.
–£ 127, 24. 130, 13. 131, 19.

UNCIA.

— praef. p. xx. 61, 4 *Hyg.* 62, 10. 12 *Maec.* 130, 12.
/ praef. p. xx; similiter excurrentis in dodrante unciae nota exarata est in codicibus Maeciani: vide Mommsen. ad p. 293, 8. 15; similis nota ibidem coaluit cum signo distinctionis: vide ad p. 292, 21.
~ 128, 1. codices Maeciani ibid. ad p. 292, 23.
~ 128, 14.
(131, 17.

SEMUNCIA.

Σ 64, 19. 67, 16. 25. 28. 68, 6. 9. 17. 20 *Maec.*
Σ codices Maeciani apud Mommsen. ad p. 290, 17.

Ɛ 128, 2. 13. 130, 11. 131, 15. codices Maeciani fere ubique (praeter 290, 17. 293, 13).
S codices Maeciani apud Mommsen. ad p. 293, 13.

DUAE sive BINAE SEXTULAE.

Ɩl 62, 10. 64, 21 *Maec.* 130, 10.
ǁ codices Maeciani apud Mommsen. ad p. 288, 18.
υυ 128, 4. 131, 13; conf. praef. p. XXI ad § 16. XXII ad 134 § 21.

SICILICUS.

Ɔ 18. 64, 23. 67, 16. 20. 25. 68, 1. 6. 12. 17. 23. 128, 5. 130, 9. 131, 11; aliae notae supra descriptae sunt p. XXI ad § 17. XXII ad 134 § 20.

SEXTULA.

ℷ praef. p. XXI ad § 18. p. 64, 24 *Maec.* 130, 8; conf. praef. p. XXII ad 134 § 18.
I– praef. p. XXI ad § 18.
υ praef. p. XXI ad § 18. p. 128, 6. 131, 9.

DIMIDIA SEXTULA.

ℷ praef. p. XXI ad § 19. p. 64, 26 *Maec.* 128, 7. 130, 7; eadem nota paene iacens expressa: vide p. XXII ad 134 § 18.
† praef. p. XXI ad § 19.
ψ 131, 5.

SCRIPULUM.

Э praef. p. XXI ad § 22. p. 128, 10. 16. 22.
ℷℓ praef. p. VII. XXI ad § 20. 64, 28 *Maec.* 128, 8. 131, 3.
ƼƧ praef. p. XXII ad 135 § 5.

RELIQUAE NOTAE PONDERUM ET MENSURARUM.

ACETABULUM.

Ξ° 123, 3 *Is.* (conf. adnot.).

ARGENTEUS.

T 128, 12.

CERATES.

3 131, 1.

CERATIUM.

K^ε 134, 21.

CHALCUS.

Or 130, 26.

CHOENIX.

X° 123, 9 *Is.* (conf. adnot.). 135, 5.

CONGIUS.

Ƶ 71, 17 *Maec.*

COTYLE.

LS praef. p. XXII init. 128, 20.

CYATHUS.

TI 71, 22 *Maec.*
K^U 122, 14 *Is.*
K^Y 134, 16.
ᔕᔕ 128, 22.

DENARIUS.

✱ 18. 19. 66, 28. 67, 16 cet. *Maec.* 83, 6 *Prisc.*

DRACHMA.

< 122, 5 *Is.* 128, 11. 22. 23. 129, 1. 134, 7.
Ⅼ÷ praef. p. XXII ad § 33.
I÷ praef. p. XXI ad § 23.
✱ 131, 7.
IIZ *v. scr.* ad 134, 7.

DUPONDIUS.

Ⱨ 82, 8 *Prisc.*

HEMINA.

Ç 71, 20 *Maec.*
K° 122, 16 *Is.* 134, 18.
I 128, 18.

LIBELLA.

— 19. 20. 69, 8. 22. 28. 70, 3. 7. 11 *Maec.*

LIBRA.

Λ 122, 12 *Is.* 134, 14.
ΛΛ *v. scr.* ad 122, 12.

MINA.

M (N superscr.) 123, 5 *Is.* 135, 1.

MODIUS.

Ṁ (O I superscr.) 71, 15 *Maec.*

OBOLUS.

— 121, 14 *Is.* 133, 19.
÷ 128, 15.

⋗ 131, 2.
Ƴ *v. scr.* ad 133, 19.

Dimidius obolus.

Z 121, 13 *Is.*
τ 133, 18.

Duo oboli.

= 121, 16 *Is.*
Z 133, 21.

Tres oboli.

T 121, 17 *Is.* 133, 22.

Quattuor oboli.

F 121, 18 *Is.* 133, 23.

Quinque oboli.

E 121, 19 *Is.*
Є 133, 24.

QUADRANTAL.

q[I] 71, 13 *Maec.*

QUARTARIUS.

t𝔪 71, 21 *Maec.*

QUINARIUS.

V 66, 28 *Maec.*

SEMODIUS.

𝔪[s] 71, 16 *Maec.*

SEMUNCIA.

NΓ 122, 8 *Is.* 134, 10; conf. infra unciae notam.

SESTERTIUS.

HS 66, 29 *Maec.* 82, 10 *Prisc.*

SEXTARIUS.

Ɔ sextarius ad vinum 71, 18 *Maec.*

Ɛↄ sextarius ad granum, 71, 19 *Maec.*

Ξ[є] 123, 1 *Is.* (conf. adnot.).

ξ 128, 17. 21.

ʕ praef. p. xxii ad § 29.

SICLOSESCLI.

Ɔ[υ] 128, 3; conf. praef. p. xxi ad § 15.

SILIQUA.

— 128, 9.
ʃ 130, 27. 132, 9.

SINGULA.

Ɛ 19. 20. 69, 22. 28. 70, 7. 11 *Maec.*

£ codices Maeciani apud Mommsen. p. 294, 10. 14. 22. 26.

SOLIDUS.

N 121, 3 *Is.* 134, 3.

Dimidius solidus.

IB *v. scr.* ad 122, 4.
I⁄ 134, 5; conf. praef. xxiii init.

TALENTUM.

T[ᴧ] 123, 7 *Is.* (conf. adnot.). 135, 3.

TL *v. scr.* ad 135, 3.

TERUNCIUS.

T 19. 20. 69, 8. 28. 70, 3. 11 *Maec.*

TREMISSIS.

H 122, 1 *Is.* 134, 1.

UNCIA.

Ɽ 122, 10 *Is.* 134, 12.

URNA.

q̣ˢ 71, 14 *Maec.*

PROLEGOMENA

IN

SCRIPTORES ROMANOS.

Pauca in universum dicta praemittuntur.

In Romanis scriptoribus ex ordine componendis aliam 109 rationem sequi debuimus ac prius in Graecis reliquiis. Nam cum ex illis longe plurima et incertis auctoribus tradita essent et de plerisque, qua aetate orta essent, ambigeretur, omnem materiam in quinque maiores partes distinximus, atque in singulis demum partibus, quantum fieri posset, temporum ordinem secuti sumus. Sed in hoc volumine cum maximam partem certi scriptores iique nobilissimi quasi testes producendi essent, certam temporum seriem constituere licuit a Varrone usque ad Priscianum et Victorium. Tum priusquam ad Isidorum, hoc est septimum saeculum, transiremus, carmina duo de ponderibus posuimus, quorum alterum fere quarto, alterum quinto sextove saeculo scriptum esse videtur. Denique post Isidorum relicta sunt pauca fragmenta, quae manifesta aetatis nota carerent; sed satis probabile videbatur, etsi origo nonnullorum ad priora tempora pertineret, tamen in eam formam quae in libris manu scriptis exstat illas reliquias non ante Isidori aetatem, multas etiam aliquanto post redactas esse.

E Varronis libris tres locos gravissimos illos elegimus quibus de pecunia signata et de agri mensuris agitur. Ad quos, si perpetuis commentariis in hac praefatione omnes scriptores illustrare vellemus, multa hoc loco addenda essent; at cum ea tantum explicare propositum sit quibus aditus quasi patefieret ad auctoritatem singulorum scriptorum recte adhibendam, nihil tale postulare videtur Varro auctor omnium locupletissimus.

De Columellae tabula mensurarum agrestium.

Initio libri quinti de re rustica Columella omnia se 110 persequi posse negat quae ab aliis velut omissa desideren-

tur. Ut M. Trebellium, familiarem suum, de agris commetiendis rationem a se requisivisse. Quod cum ipse non agricolae, sed mensoris officium esse censeat, tamen se et Trebellio et Silvino, ad quem libri de re rustica scripti sunt, desiderantibus praecepta mensurarum obsecuturum esse; sed dandam esse veniam, si quid in ea re fuerit erratum, cuius scientiam, geometrarum magis quam rusticorum propriam, ipse sibi non vindicet.

His praemissis primum varias agrorum mensuras enumerat, tum easdem breviter describit. Ita cum ad iugerum pervenerit, iugeri partes eas persequi instituit quae cadant in aestimationem facti operis. Incipit autem a minima parte, id est a dimidio scripulo, idque et quota pars sit iugeri et quot ipsum pedes habeat accurate exponit, itemque deinceps in reliquis partibus. Tum praecepta quaedam addit de iis agris metiendis, in quorum formas ipse iugeri modus non quadraret, quos aut quadratos esse scribit aut longos aut cuneatos aut triquetros aut rotundos aut etiam semicirculos vel arcus, nonnunquam etiam plurium angulorum formam exhibere. Quae formae quomodo commetiendae sint, singillatim demonstrat. Unde autem Columella hanc mensurae ineundae doctrinam repetivisse videtur? Nimirum, ut ipse dicit, a geometris, iisque Romanis, quos gromaticos vocare consueverunt. Sed a quibus illi ipsi eam artem docti sunt? Sane a Graecis. At ego in hoc non acquiescens, quonam ab auctore Graeco, quaero. Evolve Heronis geometriam nuper a nobis editam: habebis fontem copiosissimum, unde agrimensores Romani praecepta artis suae hauserunt. Nec omisi ego singulos Heronis locos conquirere, quorum ad similitudinem exempla a Columella proposita scripta esse viderentur[1]). In quibus quamquam et mensurae, ut Aegyptiae a Romanis, discrepant, et nu-

---

1) Ad Columellae cap. 2 § 1 et 2 confer Her. geom. cap. 5, 1 — ad § 3 Her. cap. 6 — ad § 4 Her. cap. 62 — ad § 5 Her. cap. 14 — ad § 6 Her. cap. 7 — ad § 7 Her. cap. 87, 4. 88, 6 — ad § 8 Her. cap. 93, 8 — ad § 9 Her. cap. 94, 1 — denique ad § 10 Her. cap. 102, 4, ubi apparet Columellam eodem Heronis libro usum esse quem epitomator ἄλλο βιβλίον appellat.

meri diversi sunt, ratio tamen metiendi calculosque ponendi atque ipsa etiam verba mirifice inter se congruunt, ut quodammodo interpretatum esse dicas Latino sermone Heronis locos Columellam.

Quam rem nec neglegendam nec parvi faciendam esse existimo. Nam cum ea geometriae Heronianae forma quae in libris manu scriptis exstat ad tertium fere saeculum p. Chr. n. referenda esse videatur, facile quis possit suspicari in hac recentiore forma paene nihil genuini coloris servatum esse. Quod minime verum est. Nam e Columellae quidem exemplis perspicimus eandem fere geometriae formam quae nobis in manibus est iam Augusti temporibus vulgatam fuisse, unde et brevior est et expeditior reditus per unius saeculi spatium ad ipsam Heronis aetatem. Aliquantum igitur affert Columellae locus ad nostram sententiam confirmandam, Heronis geometriae eam formam quae nobis servata est paucis tantum iisque levioribus rebus diversam esse ab antiquo ipsius Heronis libro.

De Frontino, Hygino, Balbo, gromaticis.

Omnis gromaticorum disciplina quantum valuerit in 111
imperio Romano quantoque momento scripta eorum aestimanda sint, egregie demonstraverunt Niebuhrius aliique[1]). Quapropter insignis gratia debetur Lachmanno, qui infinito paene labore suscepto illos libros primus ita ediderit, ut genuina scriptura, quantum fieri posset, restitueretur. Nec defuit eiusdem opera ad illustranda ea quae, quamvis gravissima essent, omnes tamen priores latuissent. Nam is primus accurate demonstravit Iulium Frontinum, antiquissimum et eruditissimum scriptorem de rebus gromaticis, eundem esse atque illum Frontinum qui de re militari ac de aquae ductibus scripsit[2]). Aequalis igitur fuit impera-

1) Illustrem Niebuhrii locum de ea re scriptum (*Kleine hist. u. philol. Schr.* II p. 81) repetivit Blumius in Gromat. vol. II p. 4. Ac praeter Niebuhrium et ipse Blumius et reliqui omnes quorum commentarii in altero gromaticorum volumine collecti sunt illorum scriptorum laudes auxerunt.

2) V. Gromat. II p. 101 s.

toribus Flaviis vitamque perduxit ad Traiani tempora. Cuius e libris gromaticis varii loci excerpti exstant, quorum prior pars instructa est commentario Aggeni Urbici. In altera autem parte, quae ex libro Frontini secundo excerpta esse traditur, primum agit scriptor de limitibus, atque ibi (p. 30) de actu, iugero, sorte, agrestibus mensuris, ea exponit, quae nos separatim edidimus (fr. 112).

Aequales fere Frontino constat fuisse Balbum et Hyginum, ita tamen, ut hi libros suos postea scriberent quam Frontini libri editi sunt. Nam Hyginus quidem usus est Frontino auctore[3]). Scripsit autem Hyginus de limitibus et de condicionibus agrorum ineunte imperio Traiani anno fere p. Chr. n. CIII[4]). Atque eadem prorsus est Balbi aetas, qui se librum suum consummavisse dicit, postquam Traianus imperator victoria Daciam proxime reseraverit ipsique e septentrionali plaga annua vice transire permiserit[5]).

Ex Hygini libro (p. 121 ss.) in hac collectione repetivi ea quae de variis agrorum mensuris traduntur (fr. 114), quem ad locum illustrandum nihil hic addendum videtur[6]).

---

3) V. Lachmann. II p. 139.

4) Conf. ea quae Lachmannus p. 139 collegit. Primum constat Hygini librum post prius bellum Dacicum scriptum esse. Porro si recte suspicatur Lachmannus, quod provincia Dacia ab Hygino non commemoretur, scripsisse eundem ante bellum Dacicum alterum, fere relinquitur annus 103. Verum etiamsi istam coniecturam de provincia Dacia non commemorata reiicias, utique hoc verum manet sub Traiani imperio librum confectum esse.

5) Non ipso nomine, sed omnino vel *sacratissimus imperator* (p. 92, 7), vel *maximus imperator* (p. 93, 7) appellatur Traianus; nec tamen dubium esse videtur, quin is fuerit Traianus, non Domitianus, cuius praeter Traianum rationem habendam esse recte scribit Mommsenus (Gromat. II p. 147). Iam cum statim post victoriam Dacicam redierit Balbus ac deinde annuo spatio librum confecerit (p. 93, 6), prout prius aut alterum bellum Dacicum intellegendum est, anni relinquuntur inter 102 et 106 ineuntem.

6) Vide de mensuris ab Hygino traditis Rudorffium in Gromat. vol. II p. 282. 421 et nos in Metrol. p. 286 s. 288. Praeterea de scriptura verborum passim corrupta

De Balbi expositione et ratione omnium formarum.

Frontini et Hygini locos cum paucis absolvimus, restat 112
ut accuratius quaeratur de Balbi scriptis, qua in re non tam id quod ipse sentio difficile esse video ad demonstrandum, quam diversis Lachmanni et Mommseni sententiis mihi non probatis quodammodo perturbor. Nam ille et novam proposuit Balbi expositionis inscriptionem et eidem tribuit librum de asse[1]); alter autem Balbum de eo maxime argumento egisse existimat quod continetur libris coloniarum, recensuisse igitur in illa expositione formas agri coloniarum, id est typos vel tabulas aeris, quibus fines agrorum accurate descripti et scripturae contextu illustrati erant[2]).

Quae ego hic, ut par fuit, commemoravi, ne summorum virorum placita leviter neglexisse viderer; at tamen in hac praefatione brevioribus finibus circumscripta eademque Latini sermonis rigore impedita non id agendum esse duxi, ut aliorum sententiis adversarer et quasi bellum inferrem; sed meam opinionem simplici oratione malo expromere, si qui in his quod probabile videatur inveniant.

Profitetur Balbus in praefatione se scribendo ei libro, quem tum misit ad Celsum, iamdudum intentum fuisse, sed intervenisse imperatoris expeditionem. Tum se studia

---

deque notis partium assis exposui in praefatione. Denique hunc Ptolemaicum Cyrenensium pedem accurate distinxi a Ptolemaica Aegyptiorum mensura eo loco quem vol. I p. 24 adn. 2 extr. citavi; et omnino conf. illam § 16.

1) Vide Gromat. I adnot. ad p. 91, 2. II p. 133 s., unde haec exscribo: *Wer kann zweifeln dass beide Schriften* (id est expositio et liber de asse) *Theile desselben Werkes sind? Es mochte nach S. 94, 3 zu urtheilen, expositio et ratio omnium mensurarum heissen, oder ungefähr so: für den aufgenommenen Abschnitt setzten die Sammler formarum statt mensurarum.* Contra ego demonstrabo verba quae p. 94, 3 leguntur tantummodo ad ipsam mensurarum tabulam cui praefixa sunt pertinere, minime vero ad totius operis argumentum. Aliis argumentis Mommsenus II p. 149 inscriptum illud *omnium formarum* tuetur.

2) V. Gromat. II p. 148—157. 180 s.

artis suae primum intermisisse nec quidquam aliud quam belli gloriam cogitavisse, sed postquam hostium terram exercitus intraverit, varias mensuras ad bellum maxime necessarias exigendas fuisse, quo facto se rationem qua eae mensurae fierent religiosius colere coepisse statimque ut imperator victoria reportata ipsum e Dacia dimiserit, hunc librum consummavisse.

Haec fere Balbus et praeterea alia minime neglegenda, quae apud ipsum legantur. Verum ego iam quaerere instituam, quamnam artem coluerit Balbus eandemque Celsus? Etenim non Balbus solum istius artis studio honoratus fuit apud imperatorem, sed nobilior etiam Celsus, vir summae in ea re auctoritatis, penes quem studiorum suorum summam manere scribit Balbus, eundemque in hac parte plurimum inter aequales posse[3]). Quid? quod idem Celsus instrumentum quoddum invenisse dicitur, quo ea spatia easque altitudines metiri liceret, quae nec passibus aut perticis exigi nec omnino adiri possent? Hic pervenio ad id quod est gravissimum omnium. Nam etsi Balbus nec nomen illius instrumenti affert nec eius adhibendi rationem describit — quam difficultatem insuper auget dubia verborum scriptura[4]) — tamen id in quo maximum momentum est satis apparet. Atque animum id advertant iam omnes quorum interest, artem trianguli ex uno latere proximisque angulis metiendi ab hoc Celso Romanis traditam esse centesimo fere anno p. Chr. n. Quam ad artem pervulgandam quid olim contulerit Hero Alexandrinus libro quem περὶ διόπτρας scripsit, tum quomodo ea ars ad Romanos satis longo intervallo transierit, non meum est hoc loco exqui-

3) P. 94, 1. 91, 3. 8.

4) P. 92, 13: *erant dandi interveniente certo itineris spatio duo rigores ordinati, quibus in tutelam commeandi ingens vallorum adsurgeret molis: hos invento tuo operis decisa ad aciem parte ferramenti usus explicuit.* Sic locum restituit Lachmannus ex librorum scriptura variis modis depravata. Atque *acies* utique est oculorum acies, non exercitus instructi; significat igitur scriptor dioptrae usum, ad quem pertinet etiam *ferramentum* ibidem commemoratum (conf. Rudorff. II p. 338).

rere. Sed breviter demonstrabo quam rationem Celsus secutus esse videatur. Spatium quoddam ad quod aditus pateret, vicinum ei loco qui adiri non posset, pertica accurate metiendum curabat. Et puta centum perticas in directum inventas esse. Ex his si in tabula quadam dioptrae subiecta faceret pedem unum, hoc est partem millesimam, ac deinde in extremitatibus rectae illius centum perticarum lineae angulos metiretur ad certum quoddam punctum, quod summitas trianguli fieret, porro hos duos angulos redigeret in eam quam dixi tabulam ibique triangulum duceret, eiusque trianguli in tabula scripti latera subtilissime metiretur eamque mensuram millies duceret, efficiebantur pedes eius trianguli, cuius in terrestri spatio unum tantummodo latus adire liceret. Hinc omnia facile peragi poterant quae Balbus se dicit exsecutum esse per rationem a Celso inventam[5]).

Certe Celsus in ea re usus est dioptra, quae iamdudum nota esset — nam ipsa antiquissima groma dioptrae similis fuit, atque ad perlibrationes dioptrae usus iam ante Vitruvium vulgatus erat[6]) — sed novam eius adhibendae rationem Romanis primus demonstravit Celsus.

Iam vero redeamus ad Balbum. Ut Celsus novum instrumenti usum primus tradidit, ita Balbus, a Celso institutus, primus omnium eam rem ad militarem usum transtulit, id quod ipse plane ac dilucide scribit[7]). Inde venerabilis trianguli ratio[8]) ab eo laudatur, qua tantas res adse-

5) Ne quis minus recte haec intellegat, neutiquam eam artem docuit Romanos Celsus, quam nos trigonometriam vocamus, ubi angulorum sunt mensurae certis numeris expressae; sed tantummodo id demonstravit, quomodo triangulo amplissimo eique, ut ita dicam, terrestri, cuius unum latus notum esset, simile multo minus triangulum in tabula quadam describi posset, quo subtiliter dimenso et multiplicatione facta possent inveniri latera ipsius terrestris trianguli.

6) V. Rudorff. Gromat. II p. 336 s., Vitruv. 8, 5 (6).

7) P. 92, 11—93, 3. Celsum cum Balbo illi bello interfuisse existimat Mommsenus II p. 147; mihi tota praefatio multo aliter Balbo scribenda fuisse videtur, si Celsus partem eiusdem expeditionis cepisset.

8) P. 93, 1 haec leguntur: *expugnandorum deinde*

cutus sit. Ac cum rediisset in Italiam, statim ad studium paullisper intermissum reversus est. *Et multa*, inquit, *velut scripta foliis et sparsa artis ordini inlaturus recollegi. foedum enim mihi videbatur, si genera angulorum quot sint interrogatus responderem Multa: ideoque rerum ad professionem nostram pertinentium, in quantum potui occupatus, species, qualitates, condiciones, modos et numeros excussi.* His perlectis quis tandem ambigat, quam artem tractaverit Balbus qualemque librum composuerit? Haec nisi geometria dicenda, nulla omnino est. Ac quo accuratius id definiamus, ei geometriae generi operam dedit Balbus quod ad usum rei et agrariae et militaris pertineret, cuius eam partem quae est de agris metiendis geodaesiam Graeci appellaverunt.

Talem igitur geometriam ad usum gromaticorum accommodatam composuit Balbus eamque inscripsit Expositionem et rationem omnium formarum. Hic formae fere eae intellegendae sunt quas nos figuras geometricas vocamus, quibus omnis eius disciplinae demonstratio continetur. Quamquam non tam ipsas figuras stilo vel calamo adumbratas significavit Balbus, quam notiones earum ab oculorum obtutu abstractas mentique peritorum inhaerentes, ne multa, ipsa geometriae et principia et theoremata, quoad quidem eorum scientia necessaria esset ad disciplinam gromaticam. Quibus praeceptis geometricis addidit aliam institutionem quae peculiariter ad Romanorum artem gromaticam pertineret, cuius generis et initio libri quaedam servata sunt et alia excerpta sunt a posterioribus gromaticis[9]). Omnino autem admodum exigua pars ipsius operis

---

montium altitudines ut sciremus, venerabilis diis ratio monstrabat; ubi codices cum in aliis fluctuant, tum *di* pro *diis* habet Gudianus. Minime dubium est quin *venerabilis diis ratio* absurde scriptum sit, nec id fugit Lachmannum *dea* suadentem. At *venerabilis trianguli ratio* scripsit Balbus, ubi cum *trianguli* ab aliquo librario per Δi notatum esset, inde factum est DI, quod legimus in Gudiano, idque porro corruptum in *diis* (conf. Philol. XXII p. 62).

9) P. 98, 3—14; p. 99, 14—100, 4; p. 103, 11—16. Praeterea in reliquis gromaticorum scriptis Balbus auctor citatur p. 225, 14. 239, 15. 245, 1. 249, 1. 402, 8. 403, 28.

ad nostram aetatem pervenit[10]): quod si totum exstaret, haberemus geometriam ab Romano homine eoque eruditissimo conscriptam ac videremus Romanos paullo altius in eam scientiam penetravisse quam vulgo putatur; nunc vero praeter has minimas Balbi reliquias nihil quod dignum laude sit exstat Latino sermone de geometria scriptum.

Denique de fontibus breviter dicendum est, unde sua derivaverit Balbus. Hic non satis est ad Euclidem referre verba Romani scriptoris, velut haec: *Signum est cuius pars nulla est*, *Linea est longitudo sine latitudine*, *lineae autem fines signa;* quae sane expressa sunt secundum Euclidem: sed alium praeterea auctorem adscisci necesse est, Heronem dico. Cuius si definitiones et geometriae initium oculis perlustramus, insignes similitudines deprehendimus cum hac Balbi expositione. His igitur Graecis scriptoribus ac fortasse aliis quibusdam in scribendo libro usus est Balbus, quorum praecepta cum diligenter animo percepisset, inde elegit ea quae necessaria esse viderentur ad civium suorum usum ac tum Graecam artem amplificavit Romanorum gromaticorum disciplina.

De Balbi mensurarum tabula.

Balbus postquam praefationis ad Celsum finem fecit, 113
ergo, inquit, *ne quid nos praeterisse videamur*, *omnium mensurarum appellationes conferamus. nam mensura non tantum ista de qua loquimur appellatur*, *sed et quidquid pondere aut capacitate aut aliqui*[1]) *finitur*, *mensuram aeque*[2]) *quam longitudinem appellant . . .*[3]).

Qui loci dubium est num omnes ad hanc Balbi expositionem formarum referri possint; nec quidquam impedit, quominus Balbum, virum in arte gromatica principem, alios praeterea similis argumenti libros scripsisse statuamus.

10) Desinunt Balbi expositionis reliquiae p. 107, 9; nam pauca quae in libris insuper adduntur iure uncis interclusit Lachmannus. Apparet autem Balbum illo loco non ultra prima operis sui initia progressum esse.

1) Sic emendavi librorum scripturam *animi*, unde in aliis factum *animo*, quod repetivit Isidorus (infra fr. 123, 1).

2) Libri *eque*.

3) Puncta posui, quoniam hic quaedam intercidisse videntur. Conf. adn. 5.

quid ergo mensura sit de qua quaeritur, *tractemus* (his igitur verbis scriptor redit ad propositum). Hoc loco facile apparet eadem ratione Balbum usum esse qua Heronem in introductione geometriae[4]). Quae autem praeterea interposuit de latiore mensurae appellatione ea nec aliena sunt a proposito nec vero, nisi plane mutilata esse existimes Balbi verba, abesse possunt[5]).

Sequitur primum brevior mensurae definitio, cuius similia nonnulla inveniuntur apud Heronem[6]), tum ipsa mensurarum tabula. Uno verbo absolvam: Latino sermone Graecam aliquam tabulam similem Heronianae secundae et Euclideae ita expressit, ut pauca tantum quae in Graeco exemplo abhorrerent a Romanorum usu vel omitteret vel mutaret[7]).

---

4) In recentiore geometriae forma quae in libris manu scriptis exstat locus ille Heronis maxime memorabilis appendicis instar additus est. Vide Her. geom. cap. 106 vel in his metrologicis scriptoribus fr. 4, 2, et conf. ibid. prol. p. 31. Verba quae Balbus imitatus est sunt haec: εἰς οὖν τὸν περὶ τῆς μετρήσεως λόγον ἀναγκαῖόν ἐστιν εἰδέναι τὴν τῶν μέτρων ἰδέαν, et paullo post: ὑποδείξομεν δὲ τὴν τῶν μέτρων ἰδέαν.

5) Spuria esse iudicavit Lachmannus loci quem supra attuli verba *nam mensura* usque ad *longitudinem appellant*. At, quaeso, tolerarine possunt duae sententiae *ergo nequid* cet. et *quid ergo* cet. altera alteram excipiens? Ego nihil invenio in eo loco quod a Balbi eloquendi genere alienum sit. Qui initio *omnium mensurarum appellationes* intellegit *geometricarum*, non aliarum. Sed quoniam statim meminit esse praeterea alia mensurarum genera, haec breviter commemorat, sed consulto ommittit explicare. Tum, nisi forte nonnulla interciderunt, raptim redit ad propositum verbis *quid ergo mensura sit* cet.

6) V. Def. 120. 121. Tum Heroniana tabula III plane ita composita est, quemadmodum praecipit Balbus, ut maiores mensurae minoribus quibusque definiantur. Conf. I prol. § 22.

7) Ad § 2 loci a nobis editi conf. tabulam Heron. II, 1 et Euclideam 1. Graecae orgyiae respondet apud Balbum passus. Reliquae mensurae inter se conveniunt, nisi quod in tab. Her. miliarium, in Eucl. uncia omissa sunt, unde in Graecis tabulis undecim, apud Balbum duodecim

Quae cum ita sint, facile demonstratur via a nemine adhuc inventa ad explicandam *sextantem quae eadem dodrans appellatur* (6). Etenim quam Graeci mensuram σπιθαμήν vocabant, ea antiquitus aliena erat a Romanorum usu, unde ne sermo quidem Latinus proprium eius mensurae vocabulum habebat; sed vocabant eam ex assis ratione dodrantem, hoc est pedis quartas partes tres. Iam si eadem a Balbo sextans vocata est, fuisse oportet maiorem aliquam mensuram, cuius sexta pars ipsa spithama habita sit. Ubicunque quaeres, nihil invenies quod conveniat huic sextanti nisi Aegyptiorum ξύλον, cui tres cubiti in tabula Heroniana antiquissima tribuunter (fr. 4, 14). Unde haec iure colligi posse arbitror: ξύλον, antiquam Aegyptiorum mensuram, qua itinerum spatia metirentur (prol. § 17 extr.), fuisse perticam ligneam — et id quidem ipso nomine demonstratur — divisam in tres cubitos binosque cubitorum semisses, hoc est sex spithamas: cuius xyli usum ad primum usque p. Chr. n. saeculum pertinuisse — non enim antea scriptam esse vidimus tabulam Heronianam I (prol. § 12) — atque inde Romanos agrimensores σπιθαμήν, utpote alienam a suo sermone, nuncupasse sextantem; hinc denique Balbum, cum Romanas mensuras ad Aegyptiarum tabularum similitudinem describeret, ipsum quidem xylum, proprium Aegyptiorum, recte omisisse, servasse tamen sextantis appellationem usitatam iis Romanorum gromaticis qui in Aegypto provincia agris et itineribus dimetiendis praefecti erant, eandemque a spithama, Aegyptii cubiti semisse, transtulisse ad pedis Romani dodrantem.

---

mensurarum appellationes enumerantur. Tum ad Balb. § 3 conf. Her. II, 2, Eucl. 2, praeterea etiam Her. I, 5. V, 2; — ad § 4 Her. II, 3; — ad § 5 Her. 4, Eucl. 3; — ad § 6 Her. 5, Eucl. 4; ac sic reliqua deinceps, quae singillatim afferre nihil attinet. Sed hoc non omittendum, iugerum a Balbo omissum esse ex earundem tabularum auctoritate. Denique altera pars tabulae Balbi, qua de quadratis et cubicis mensuris agitur, liberius expressa est ad similitudinem Heronianae II inde a § 15 et Euclideae § 13.

Librum de asse iniuria Balbo tributum esse.

114 Calvus Ravennas, qui primus Hippocratis libros in Latinum sermonem conversos edidit[1]), in fine eius operis adiunxit breviores duos commentarios, ad quos haec praefatur[2]): *Censuimus praeterea necessario his addendum esse tractatum de mensuris, et ponderibus Aphricani medici cum suis notis, quem plurimis quos de his rebus in manibus habebamus praetulimus, quia magis et cum Hippocratis medelarum ponderibus, et mensuris et cum Latinis conuenire, et facere uidebatur. ac ad huius maiorem intelligentiam quaedam de Balbi ad Celsum agrimensoria, ratiocinatoriaque de asse, minutisque eius partibus adscripsimus. notas autem horum non apposuimus, cum apud plurimos inueniantur, praesertim Boetium, Baedam*[3]), *Gilbertum et ante hos, Balbum ipsum, et Priscianum, latius et plurimis*[4]) *modis, quae tamen cum iis, quae in marmoribus, et tabellis aeneis leguntur, non quadrant.* Iam sequitur apud Calvum tractatus qui Africano tribuitur (v. prol. § 123, fr. 141), quem deinceps excipit commentarius qui inscribitur *Balbus ad Celsum de asse minutisque eius portiunculis.* Cuius ad finem haec adscripsit editor: *Nec his plura de Balbo addenda putavimus quandoquidem si uita suppeditabitur, totum opus de agrimensoria et numerorum ratiocinatoria cum Vitruuii, Plinii, Capellaeque commentariis edemus.* Haec quidem Calvus; quem auctorem

---

1) Hippocratis Coi — octoginta Volumina — nunc tandem per M. Fabium Calvum Rhavennatem virum undecumque doctissimum latinitate donata. Romae ex aedibus Francisci Minitii Calvi Novocomensis anno — MDXXV. Ego usus sum huius libri rarissimi exemplo Berolinensi. Repetita editio prodiit Basileae a. 1526 ex officinà Andr. Cratandri.

2) P. DCXCVII edit. Rom., p. 471 edit. Basil.

3) *Boëthium, Bedam* ed. Bas.

4) Fallitur Lachmannus Gromat. II p. 134 *pluribus* citans.

secuti Lachmannus et Mommsenus[5]) hunc librum de asse eidem Balbo tribuerunt de quo statim disputavimus. Contra dubitationem movit Christius, qui tertio demum saeculo vel etiam quarto eundem librum ab aliquo ignoto scriptore compositum esse suspicaretur[6]). Ac vero nobis quid in hoc argumento videatur, iam paucis exponamus.

Omnia Calvi verba de ea re scripta repetivimus, quo facilius cuivis ea legenti iudicium facere liceret. Nimirum apparet gravissimas quasque res tam obscure et ambigue a Calvo significatas esse, ut admodum multa quae probabilia videantur, certi autem nihil ad id ipsum de quo agitur inde effici possit. Ergo utamur tamquam teste locupletissimo ipso scriptore huius libelli de quo quaerimus. Is inter unciae partes enumerat tremissem (15), qui nummus aureus, tertia solidi aurei pars, primum signatus est a Severo Alexandro[7]): ergo scriptor libri de asse non ante saeculum tertium vixit. Quod argumentum tam certum est, ut vix opus sit alia circumspicere. At vero sunt plurima: ut scriptorem de asse nonnullas partes afferre quae ignotae sint Maeciano, qui aliquanto post Balbum scripsit; tum formam *assis* in nominativo casu alienam esse a Maeciano nec vero eandem tribui posse Balbo, qui in expositione formarum usus est dicendi genere emendatissimo[8]);

---

5) Vide Grom. II p. 134 s. 150 s.

6) Vide commentarii de Victorio, qui infra § 117 adn. 1 citabitur, p. 106 s.

7) Auctor est Lampridius in vita Sev. Alex. c. 39. Et exstant adhuc tales tremisses a Valeriano aliisque signati: vide Mommsen. p. 776. Efficitur autem ex pondere tremissis, quod in hoc libro de asse affertur aliud quod gravissimum est ad omnem illius aetatis historiam nummariam: legitimum aurei pondus, de quo adhuc maxime ambigebatur (v. Metrol. p. 241), tertio saeculo fuisse sexagesimam quartam partem librae (nam tremissem scriptor de asse 16am unciae partem fuisse dicit, id est librae 192am, unde 64 aurei conveniunt in libram). Atque idem pondus fuisse videtur argentei nummi qui Aurelianus dicitur. Unde quid porro concludendum sit, alio loco ac tempore exponam.

8) Haec quoque Christii sunt argumenta p. 106.

quibus addi possunt alia vocabula permulta quae posterioris quidem aetatis scriptori, minime vero Balbo conveniant, ut *minutiae* (1. 10), *character* (12, pro *nota*), *medietas* (15), alia id genus.

Quod si quis utique librum de asse Balbo velit vindicare, is dixerit forsitan eam libri formam quae in manibus est spuriam esse et depravatam ex aliqua parte Balbi expositionis nunc perdita. At si probabiliter supra de illo Balbi opere disputavi (§ 112), quaenam pars eius expositionis afferri posse videtur, ubi Balbus aut ea quae nunc in libro de asse legimus aut certe similia tradiderit, quae non minus a demonstratione geometrica quam ab arte gromatica aliena sint? Verum ne in his ultra modum immoremur, cum exploratum sit et eam formam libri quae exstat Balbo tribui non posse, et unum eius rei esse auctorem Calvum, qui usus esse videtur illo codice Arceriano nobilissimo[9]), unde et Balbi expositionis initium et alia gromaticorum scripta edita sunt a Lachmanno: inde suspicari licet Calvum in eodem codice, quem olim pleniorem fuisse constat, invenisse librum de asse nullo auctoris titulo affixum Balbi expositionis reliquiis, ac cum ipsam expositionem tum edere non posset, in praesentia exhibuisse commentarium de asse, quem cum expositionis partem esse opinaretur, inde auctoris nomine repetito inscriberet *Balbus ad Celsum de asse* cet.

Verum quod Balbo abiudicandum esse censemus hunc de asse librum, minime eiusdem libri auctoritatem volumus infringere. Nam maximi est momenti ad rem nummariam saeculi tertii, sicut supra demonstratum est. Atque eodem saeculo aut ipsum hunc librum scriptum esse necesse est aut ampliorem quendam, unde hic postea commentarius in brevius contractus sit: nam quarto saeculo postquam Constantinus nova omnium nummorum genera ac rationes instituit, nemo ea commentari potuit quae legimus in hoc de asse libello.

---

9) V. Mommsen. in Gromat. II p. 151 coll. Blumio ibid. p. 6 ss.

De Volusii Maeciani distributione.

L. Volusius Maecianus, eques Romanus, iuris scientia 115
nobilissimus, M. Aurelii praeceptor, qui interfectus est Alexandriae a. CLXXV plus sexaginta annos natus[1]), scripsit et quaestionum de fidei commissis libros XVI et hunc breviorem commentarium de assis distributione. Quamquam ipse non *Assis distributio* inscripsit libello, sed pleniore titulo ***Distributio item vocabula ac notae partium in rebus quae constant pondere numero mensura***[2]); quapropter nobis breviter ***distributio*** ea appellanda esse videtur.

Scripsit hunc commentarium Maecianus ad M. Aurelium Caesarem, quem tum iuris disciplina instituebat, anno fere CXLVI[3]). Qua in re, ut ipse plane et aperte demonstrat in praefatione, id egit, ne assis distributio et in heredum institutione et in aliis multis rebus necessaria ignota esset Caesari. Primum igitur omnem ipsius assis divisionem accurate exponit partesque inter se comparat (1—43), tum pecuniae signatae eas appellationes persequitur quae referuntur ad assem, ex quo omnis nummus argenteus potestatem habeat (44). Ac vero hac de parte commentarii paullo latius explicare necesse est.

Primum docet scriptor (48—62) denarium, argenteum nummum, qui XVI asses habeat, ipsum assis instar dividi posse. Quod nos facillime ita explicabimus, ut eum assem,

---

1) Haec omnia egregie exposuit Mommsenus in praefatione ad Volusii Maeciani distributionem *(Abhandl. der Sächs. Gesellsch. der Wissensch. Bd. III. 1853 p. 281—85).*

2) Hanc inscriptionem quae in libris exstat tuentur ipsius Maeciani verba: *cum partes ipsas tum vocabula et notas proponendas existimavi; et deprehendes distributionem quidem partium infinitam, oppido autem quam exigua vocabula et notas.* Unde apparet *assis distributio*, quod placuit Böckingio, probari non posse. Tum *distributio partium* praetulit Mommsenus. Sed mihi aut plenus titulus *distributio item vocabula ac notae partium* cet. repetendus esse videtur — ubi nescio an *item* inculcatum sit ab aliquo librario — aut breviter *distributio* eadem dicenda, sicut fecit Gronovius.

3) Vide Mommsen. p. 287 ult.

unde fit cuiuslibet rei in computando divisio, solidum appellemus, illum autem nummum aeneum, qui fuit denarii pars sextadecima, dicamus assem monetalem. Iam ratio simpliciter sic ducenda: as monetalis quota pars est denarii, siquidem hunc assem sive solidum feceris? Nimirum semuncia sicilicus, id est pars sextadecima. Atque id ipsum *solidi pars sextadecima* Maecianus his expressit (48): *semunciae enim sedecim et sicilici sedecim assem efficiunt.* Eademque ratione ceteras persequitur denarii partes singulis assibus monetalibus additis, dupondium, tressem, reliqua usque ad quindeciaere: hic enim finis expositionis faciendus erat, quoniam sedecim asses ipsum denarium efficiunt. Haec vero omnia a Maeciano tradita si in unum comprehendimus, quid inde concludendum? Primum Maecianus nullis nisi iis partibus iisque appellationibus utitur, quae vulgatae fuerunt in cuiusvis assis sive solidi divisione; nihil igitur nisi denarium in calculis ponendis fecit assem, id est solidum, atque asses monetales singulos et binos et ceteros expressit ex solidi denarii ratione. Cuius rei usum ipse loculenter demonstrat his verbis (63): *ingeniosissime autem, cum ad denarium ratio conficeretur, excurrentis aeris nota inventa est, quae sedecies multiplicata id efficeret; nam cum denarii nota praescribatur, eique subiungatur aeris excurrentis nota, manifestum est eam sedeciens ducendam ex adnotatione denarii.* Ergo si rationes pecuniariae subducebantur in denariis et praeter solidos denarios computandae erant denariorum partes, ne ratio turbaretur tot sestertiis totve assibus adscriptis ad denariorum summam, tot potius partes denarii pro asse sive solido computati adiungebant ratiocinatores Romani. Sic, ut exemplo utar, summam centum denariorum sestertii unius assium trium breviter scribebant ✱C⁼⁼−Ɔ, nam septem asses monetales sunt denarii partes septem sextaedecimae, sive quinque duodecimae, id est quinque unciae, et insuper una quadragesima octava, id est sicilicus[4]).

4) Redige $\frac{7}{16}$ ad $\frac{21}{48}$, unde fiunt $\frac{5}{12}+\frac{1}{48}$. Copiosius omnem rationem exponit multisque exemplis illustrat

Haec ea maxime de causa latius exposui, ut viam munirem ad reliqua demonstranda, quae multo sunt difficiliora. Ergo ut eadem quae statim dixi paucis repetam: solebant ratiocinatores Romani altero post Chr. n. saeculo, cum ad denarium ratio fiebat, singulos asses monetales redigere ad partes denarii pro asse computati. Nullis autem in ea re partium appellationibus notisque utebantur nisi vulgaribus ac legitimis, uncia, semuncia, sicilico; quas partes ad denarium revocandas esse significabant praefixa nota ✱. Atqui diversa plane a vulgari assis divisione ea ratio fuit quam sestertiariam dicit Maecianus (65—73). In hac erant praeter semissem, S, partes sestertii

decima sive libella —
vicesima sive singula[5]) ≤
quadragesima sive teruncius T.

Hae non proprie sunt Romanae, sed repetitae illae quidem ex Siculorum usu, quorum argenteus nummus fuit didrachmum Attico pondere, habuit autem denas litras sive libellas, ac litrae conveniebant bina ἡμίλιτρα vel quaterni τριᾶντες, quae partes latine appellatae sunt sembella et teruncius.

Haec omnis ratio quanti momenti sit ad historiam rei nummariae Romanorum illustrandam, non opus est hoc loco monere, postquam Mommsenus copiosius de eo argumento disseruit[6]). Sed id nunc agimus, ut Maeciani verba explicemus. Qui hac sestertiaria ratione uti scribit ratiocinatores, ut summae sestertiorum statim addere possint excurrentes asses et semisses, hoc est quaternas et octonas sestertii partes. Infra autem semissem non descendebant; nam etsi quadrantes aeris etiamtum fuisse videntur, is tamen nummulus minor erat, quam ut in magno pecu-

---

Gronovius de sest. p. 409—414 (Amstelod. 1656). Nuper eandem rem attigit Marquardt. *Röm. Alterth.* V p. 102 s.

5) Singulam Maecianus appellat quae Varroni de l. L. 5, 174. 10, 38 est sembella. Utriusque vocis originem explicat Mommsen. *G. R. M.* p. 199 adn. 85.

6) *G. R. M.* p. 198 ss.

niae numero computaretur. Semissem autem non neglegebant, eoque sestertiaria ratio accuratior fuit quam denariaria, ubi infra assem nihil ad calculos vocabatur. Rursus exemplo utar: si cui persolvendi erant centum sestertii as semis, brevis erat notatio HS C ☰ — Ʃ T, hoc est C sestertii et excurrentes partes decimae tres, vicesima una, quadragesima una, qua coniunctae faciunt sestertii partes octavas tres sive in pecunia signata assem et semissem.

Neminem rei nummariae peritum potest latere eam rationem quam sestertiariam vocat Maecianus, in qua partes sunt decimae, vicesimae, quadragesimae, proprie pertinuisse ad vetustiorem denarium, cui decem asses conveniebant, neque ipse Maecianus id omittit commemorare (74). Tunc enim denarii libella in pecunia signata habebat assem suum et sembella semissem et teruncius quadrantem[7]). Sed postquam denarius in sedecim asses distribui coepit, illa ratione tantum modo utebantur ad notandas sestertii partes excurrentes (75).

Postremo Maecianus breviter exponit de ponderibus, tum de mensurarum liquoris ac grani divisione (77—80); ad quae nihil hic adnotandum. Sequitur deinde alius disputationis de eodem argumento initium, ubi deficit codicum scriptura.

Ita cum Maeciani commentarium satis, ut videtur, explicuimus, restat ut memoria repetatur fragmenti illius Alexandrini (95) quo variae denarii partes, usitatae illae παρὰ τοῖϲ ʽΡωμαίοιϲ λογιϲταῖϲ, recensentur. Ergo eius fragmenti et formam a nobis editam et illam quam Calvus expressit (prol. § 123) cum Maeciani verbis sic comparemus:

apud scriptorem Alexandrinum			apud Maecianum	
1	δηνάριον	fr. 95, 8. 141, 9	denarius	§ 45
$\frac{1}{2}$	τροπαϊκόν	ibid.	victoriatus	ibid.
$\frac{1}{4}$	νοῦμμοϲ	ibid.	sestertius	ibid.
$\frac{1}{16}$	ἀϲϲάριον	ibid.	as	§ 47

---

7) Mommsen. p. 200 adn. 87.

apud scriptorem Alexandrinum		apud Maecianum
1 ἀϲϲάριον	ibid.	as § 1
$\frac{1}{2}$ S	ibid.	semis § 1
$\frac{1}{3}$ γ″	ibid.	triens § 2. 40
$\frac{1}{4}$ δ″	ibid.	quadrans § 3. 40
$\frac{1}{6}$ ϛ″	ibid.	sextans § 4. 40
$\frac{1}{8}$ η″	ibid.	sescuncia § 5. 40
$\frac{1}{9}$ θ″	ibid.	uncia duae sextulae § 6. 40
$\frac{1}{10}$ ι″	ibid.	[partem decimam et undecimam nec nomen proprium nec notam habere dicit Maec. § 40]
$\frac{1}{11}$ ια″	fr. 95, 8 (om. fr. 141)	
$\frac{1}{12}$ ιβ″	fr. 95, 8. 141, 9	uncia § 7. 40
$\frac{1}{16}$ ιϛ″	fr. 95 (om. fr. 141)	semuncia sicilicus § 41
$\frac{1}{18}$ ιη″	fr. 95 (om. fr. 141)	semuncia sextula § 41
$\frac{1}{24}$ κδ″	fr. 95. 141	semuncia § 27. 33. 42
$\frac{1}{36}$ λϛ″	ibid.	binae sextulae § 28. 33. 42
$\frac{1}{40}$ μ″	fr. 95 (om. fr. 141)	[* teruncius § 65]
$\frac{1}{48}$ μη″	fr. 141 (om. fr. 95)	sicilicus § 29. 33. 42
$\frac{1}{50}$ ν″	fr. 95 [ubi corrigendum videtur μη″]	[non habet Maecianus]
$\frac{1}{72}$ οβ″	fr. 95. 141	sextula § 30. 33. 42
$\frac{1}{100}$	[has partes omisit scriptor Alexandrinus]	centesima [in usuris] § 43
$\frac{1}{144}$		dimidia sextula § 31. 33. 42
$\frac{1}{288}$		scriptulum § 32. 33. 42
$\frac{1}{576}$		dimidium scriptulum sive simplium § 39.

Iam sic Graeca tabula cum Maeciano comparata apparet recte a scriptore Alexandrino positas esse partes S, γ″, δ″, ϛ″, η″, θ″, ιβ″, ιϛ″, ιη″ [has duas igitur iniuria omittit fr. 141], κδ″, λϛ″, μη″ [sic in fr. 95 pro ν″ scribendum videtur], οβ″. Dubitatio autem relinquitur de ι″, ια″ [hanc partem om. fr. 141], μ″ [om. fr. 141], ν″ [om. fr. 95]. Ex his ν″ iam diximus stare non posse, quod esse debuit μη″. Nec magis probari potest ια″, quod omittit Calvus et expressis verbis expellit Maecianus. Recte autem posita sunt ι″ et μ″. Nam etsi Maecianus in denarii partibus decimam esse negat (§ 40), tamen idem in ea ratione quam

sestertiariam dicit affert decimam partem, i. e. libellam, et quadragesimam, i. e. teruncium. Hae, ut dixi, apud Maecianum ad sestertium referuntur; at eaedem olim pertinuerunt ad denarium (Maec. § 74); iam cum in ea ratione, ubi denarii partes sunt duodenariae et reliquae, ipse denarius assis instar computetur (supra p. 17 s.), facile Graecus scriptor etiam eum denarium qui in libellas et reliquas partes divideretur ἀσσάριον vocare potuit. Iure igitur existimare videmur partes ι″ et μ″ in illa Alexandrina tabula significare libellam et teruncium.

De Festo, Prisciano, Dardano, Didymo.

116 Post librum de asse secundum temporum ordinem posui reliquias ex Festi libris de verborum significatione repetitas, quibus statim addidi Pauli locos (117). Nonnullos pocos quibus pecuniae nomina commemorantur modo, non lexplicantur, consulto omisi[1]).

Tum ex Prisciani grammatici libello de finguris numerorum recepi eam partem quae est de ponderibus et nummis. Ubi et ipse Priscianus multas res affert admodum notabiles et alios citat auctores. Ac gravissima erat quaestio de illo talento magno quod octoginta libris et quattuor unciis constare dicitur, de quo nos latiorem disputationem instituimus alio loco[2]), quo facto iam satis demonstratum esse videtur nulla fide dignas esse futiles Prisciani argumentationes, quippe qui diversissima pondera ac nummos imperite inter se confuderit atque omnino rudis fuerit in hoc doctrinae genere.

Maxime memorabilis inter auctores qui a Prisciano citantur sine dubio est Dardanus sive Dardanius. Nam priore eius nominis forma uti consuevimus secundum vulgatam apud Priscianum scripturam, etsi rectius mea qui-

---

1) Sunt haec fere: aeruscare p. 24 Muell., dirutum aere 69, equestre aes 81, hordiarium aes 102, piscatorium aes 210[b], peculatus 213[a] et 236, poenas pendere 242[a] et 243, resignatum aes 284 et 285[a], sacramentum 344[b], stipatores 350 et 351[a], Taurium aes 360[a], vectigal 371[b].

2) V. Philologi vol. XXII p. 202—213.

dem sententia Dardanius iste appelletur, quoniam Lydi auctoritati accedit Guelferbytani codicis scriptura in eandem formam consentiens[3]). Sed tamen illam formam quae nunc omnium usu fertur non prius abiiciendam esse duxi, quam aliorum iudicio haec mea coniectura probaretur. Tum de Dardani aetate quaerentibus satis constat vixisse eum scriptorem aliquanto post Constantini tempora, id est quarto saeculo exeunte vel ineunte quinto[4]). Scripsit autem, ut Lydus[5]) tradit, de ponderibus, quo ex libro et illa servata sunt quae Priscianus exscripsit (de fig. § 10) et haec a Lydo laudata: ὁ δὲ Δαρδάνιος ἐν τῷ περὶ σταθμῶν χιλίων ὀβολῶν λέγει πάλαι γενέσθαι τὸ μιλιαρίσιον καὶ ἀπὸ τῆς χιλιάδος τῶν ὀβολῶν οὕτως ὀνομασθῆναι. Quae non recte ab illo scripta esse nos meliora edocti iam compertum habemus, nec magis probari ista possunt quaecunque apud Priscianum diversa a reliquis auctoribus Dardanus tradit.

De Didymo, cuius libro περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας Priscianus et hoc loco et in institutionibus grammaticis aliquotiens usus est, nihil ipse habeo quod addam, quoniam in omnibus fere adstipulor H. Keilio, qui post M. Schmidtium novam de eo scriptore quaestionem instituit. Unde hic Didymus non Chalcenterus ille plurimis scriptis nobilis, sed civis Romanus, Neroni et aequalis et notus fuisse videtur[6]). Quae autem Graeca verba Priscianus

---

3) Ut Δαρδάνιος legitur apud Lydum, ita Gudianus codex 132 eo loco qui apud Keilium est p. 409 vs. 30 (§ 14) habet *dardaniū* et in Erlangensi *Dardanius* (p. 408, 18 Keil.) correctum est ab altera manu (Keil. quaest. gramm. p. 8 adn.). Ac multo probabilius est *Dardanus* pro *Dardanius* prave scriptum a librariis Vergilii memoribus, quam contra hoc ex illo corruptum esse.

4) Conf. Henr. Keil. quaestiones grammat. p. 9, Mommsen. hist. Rom. rei numm. p. 790, nostrum commentarium in Philol. p. 207 adn. 7.

5) De mensibus 4, 9 extr.

6) V. Keilii quaest. gramm. p. 10 (Didymi fragm. a Schmidtio collecta p. 345—49). — Praeterea hic locus esse videtur, ut commemorem me consulto in priore huius libri volumine non quaesivisse, num Didymus ille Alexan-

affert (de fig. § 17), ea omnia Didymi esse arbitror, non partim Dardani, ut statuit Keilius[7]).

De Victorii argumento calculandi.

117 Pervenio iam ad scriptorem Prisciano fere aequalem, quem calculatorem studiosissimum imperator Honorius appellasse fertur, Victorium Aquitanum. Cuius de vita et scriptis praefari supersedeo, cum nuper copiosius de his disputaverit Christius[1]). Sed ut paucis repetam quae omitti nequeunt, praeter celeberrimum illum canonem paschalem Victorius scripsit priore parte saeculi V argumentum calculandi, cuius initium olim inter Bedae scripta editum[2]) nuper a Christio e codice Bambergensi repetitum est una cum Abbonis commentarii partibus quibusdam selectis. Hinc nos excerpsimus ea quae de assis divisione traduntur[3]), omisimus autem tabulas multiplicationis alienas a proposito. Quamquam extrema verba loci a nobis editi: *iam reliquae minutiae —, ut sunt sicilici sextulae et cetera, melius ex ipsius calculi inspectione cognoscuntur*, haec iisdem tabulis quodammodo illustrantur, siquidem illic legimus omnis multiplicationis principium fieri a dimidia sextula. Haec igitur tamquam minima pars assis addenda est sextulae sicilico reliquisque minutiis a Victorio enumeratis.

Carmen de ponderibus illustratur.

118 Didactica Romanorum Musa ut nullum fere doctrinae genus quamvis alienum a poetica tractatione reliquit inten-

---

drinus qui de mensuris marmorum ac lignorum scripsit aut Chalcenterus esse videretur aut alius quispiam ex iis Didymis quos scripta reliquisse aliunde novimus. Nam nulla est in ea re probabilis coniecturae quasi ansa; nisi forte hoc affirmari potest certe a Chalcentero, qui grammaticos tantummodo libros scripserit, alienam fuisse illam mensurarum scientiam.

7) Quaest. gramm. p. 8.

1) Vide *Sitzungsbericht der Münch. Akad.* 1863. I p. 100—152.

2) V. Christium p. 109.

3) Ibidem p. 133 s.

tatum, ita etiam ponderum et mensurarum scientiam versibus describere conata est. Quo ex genere ad nostram aetatem pervenerunt duo carmina, alterum brevius nec ulla peculiari virtute insigne, alterum satis copiosum ac laudabili arte et studio compositum, de quo iam nobis est disputandum.

Nonnulli veteres codices una cum Prisciani grammatici scriptis continent centum sexaginta fere versus de pon deribus et mensuris, quos et ex ipsa illorum codicum auctoritate et quia Priscianum de simili argumento scripsisse in libro de figuris numerorum recordabantur, multi eidem grammatico tribuere consueverant. Quam opinionem quomodo Wernsdorfius cum reliquis testimoniis quae de auctore carminis feruntur conciliare studuerit, supervacaneum est hic repetere, quoniam alio ex principio totam quaestionem ordiendam esse recte nunc cognitum habemus.

Iam primum videamus, quid ex ipsis veterum librorum testimoniis de scriptore carminis statuendum sit. Inscripta habet

De ponderibus codex Bobiensis vetustissimus;

item Prisciani liber de ponderibus et mensuris ex opere Rufini vel Faviani. de ponderibus et mensuris cod. Vossianus 33 in 4 (Keil. ad Priscian. vol. II p. 391); similiter codex Reginae Sueciae, ex quo Burmannus (poet. Lat. min. vol. II p. 396) affert: *Prisciani liber de ponderibus et mensuris ex opere Rufini vel Faviani;*

Versus Prisciani grammatici de figuris numerorum et ponderum Sangallensis 817 (Schenkl. p. 59 commentarii infra in adn. 2 citati);

Remi Favini de ponderibus et mensuris cod. Guelferb. Gudianus 64 in 4, a nobis collatus, item Vossianus 12 in 8 (Hertz. ad Priscian. vol. I p. XXI), Morbacensis (Endlicher. p. 99), Monacensis 18375 saec. X, alii (Christ. in Mus. Rhen. XX p. 69);

Remi Favini epistola de ponderibus ex sensu eiusdem clari auctoris ad Symmachum metrico iure missa incipit cod. Parisinus 7498 (Keil. ad Priscian. vol. II p. 396);

denique inscriptione omnino carent Guelferb. Gud. 132 in 4, Paris. 7461, editio Veneta princeps (anni 1470).

Haec de inscriptionibus carminis a certis auctoribus tradita hic proponenda esse existimavi. Quibus testimoniis perlustratis primus Endlicherus dubitationem movit, num iure Prisciano id opus tribueretur. Tum H. Keilius[1]) recte demonstravit nec librorum manu scriptorum auctoritate satis defendi eius grammatici nomen, nec rerum de quibus agitur argumento; ac nomen Prisciani tum demum carmini inscriptum videri, postquam in codicibus una cum eius libris scribi coeptum sit. Alteram autem opinionem de Rufino vel Favino auctore Car. Schenkelius[2]) inde ortam esse existimavit, quod olim illud carmen sine auctoris nomine inter scripta Rufini et Remmii Fannii grammatici positum fuerit. Contra G. Christius, qui postremo de hoc argumento disputavit[3]), censet auctorem carminis fuisse Remmium quendam Flavium sive Flavinum, diversum illum quidem a Remmio Palaemone grammatico, a quo ipso Fannii nomen alienum sit. Sed hi omnes, ut ex parte inter se discrepant, ita in eo recte consentiunt non a Prisciano grammatico carmen scriptum esse, quae res, si cui aliis insuper argumentis indigere videatur, is legat ea quae diligenter Christius explicavit, non solum nonnullas res easque graviores aliter a Prisciano definiri atque ab huius carminis scriptore[4]), sed etiam dicendi genus apud utrumque plane diversum esse. Quid? cum nuper Priscianum ponderum et nummorum veterum non satis peritum fuisse a nobis demonstratum sit[5]), nonne haec etiam sententia in

---

1) Praefat. ad Priscian. vol. II p. 402.

2) *Zur Kritik späterer lat. Dichter* (Sitzungsber. d. Wiener Akad. 1863) p. 59.

3) Mus. Rhenan. XX p. 69 s.

4) Ibidem p. 66 s. Ut obolus in carmine de ponderibus atque apud omnes vetustiores auctores scripuli est dimidia pars, a Prisciano autem idem cum scripulo aequatur secundum Dardanum (de fig. 10). Tum denarium quattuor scripulorum, quo maxime nititur Prisciani argumentatio, ignorat scriptor carminis. Nec in reliquis fere simile genus praeceptorum.

5) In Philologi vol. XXII p. 202 ss.

medium afferri potest, inscitiam Prisciani et laudabilem doctrinam illius qui hoc carmen scripsit minime convenire in unum hominem, alterum igitur diversum esse ab altero?

Verum iam in hoc acquiescamus nomen scriptoris non esse notum; illud autem quaeramus, quocunque is nomine fuerit, meritone pro bono auctore habeatur.

Brevi exordio (vs. 1—5) poeta, cum declarat se pondera quae medicorum in libris inveniuntur descripturum esse, ipse nobis ostendit hoc carmen cognatum esse cum tabulis illis Graecis quas medicinales appellavimus[6]). Praeterea idem de ponderis vi eiusque ad omnem mundi constitutionem momento apte et perite pauca commemorat[7]).

Iam primum (vs. 6—31) Romana pondera illustrantur, additurque in fine Atticae cuiusdam librae mentio. Ibi quod poeta a minimis se orsurum esse dicit, recte imitatur bonos in eo genere auctores Graecos[8]). Tum minima pondera afferuntur semiobolus, obolus, scriplum; scriplo autem tribuuntur vel sex siliquae vel sedecim lentis grana vel totidem speltae lupinive. Ex his in vulgari usu apud Romanos fuerunt siliqua, obolus, scripulum, quorum ponderum ipsas legitimas rationes tradit poeta. Addit semiobolum, h. e. ἡμιωβόλιον Graecum, quod in tabula Cleopatrae inter pondera receptum legimus (p. 234, 20). Quae autem praeterea frugum grana affert, ea omnia ad illud minimum pondus revocanda esse apparet, quod χαλκοῦς dicitur in eadem tabula Cleopatrae[9]). Ceterum recte scriptor monet, ne quis ex his granulis certum ac quasi naturale pondus definiri posse existimet, quo in errore multi harum rerum studiosi antiquis temporibus

---

6) Conf. Burmannum ad h. l., Bernhardyum in hist. Rom. litt. p. 535 (edit. 4), Schenkelium p. 60: *der Verfasser hatte sich zur Aufgabe gestellt, für diejenigen, welche ältere medicinische Bücher gebrauchen und nach deren Anleitung Arzneimittel bereiten wollten, die in früheren Zeiten geltenden Masze und Gewichte angemessen zu erklären;* denique nos vol. I p. 65.

7) Conf. Ovidii, Germanici, Avieni versus a Burmanno aliisque citatos.

8) V. vol. I p. 96. 228. 240. 248.

9) Ibid. p. 125. 235, 1. Conf. praeterea p. 222, 4 al.

versati sunt[10]). Tum a scripulo pergit ad dragmam (hanc enim formam illa aetas praeferebat), sicilicum, sextulam, duellam, unciam, denique libram, neque usquam in his a legitima ratione discedit.

Extrema hac carminis particula, ut diximus, Attica quaedam libra septuaginta quinque drachmis definitur. Hic certe scriptoris errorem deprehendimus, cuius tamen socium habet Dardanum illum a Prisciano citatum. Etenim cum septuaginta quinque vetustae drachmae Atticae incurrerent in libram Romanam, hi duo scriptores, cum plane nescirent vetustae drachmae Atticae pondus diversum fuisse a vulgari Romanorum drachma, hoc est denario Neroniano, finxerunt Atticam quandam libram vel minam septuaginta quinque drachmarum sive denariorum[11]). Atque eadem ratione proximi huius carminis versus (32—40) iudicandi sunt, ubi Attica pondera, talentum, mina, drachma, obolus afferuntur. Nimirum cum scriptori persuasum sit Atticae drachmae (itemque oboli) pondus non differre a Romana ponderum ratione quam modo exposuit, sequitur ut Atticam minam faciat quattuor drachmis maiorem Romana libra; tum autem repetit falsam istam librae Atticae definitionem.

Sequitur assis distributio (vs. 41—55) scite in versiculos redacta. Ubi formam *decuncis*, quam nominativi loco plurimi falso habuerunt, genitivum esse ex *decunx* acute Christius perspexit[12]). Praeterea ad haec nihil adnotandum.

Tum 'haec de ponderibus', inquit scriptor, 'superest p a r s a l t e r a nobis', scilicet ut mensurae liquorum ac frumenti explicentur (vs. 56—90). Hic recte incipit ab amphora Romana sive quadrantali, quod quomodo ex pede porrecto efficiatur, accurate demonstrat. Deinde minora usque ad cyathum ita explicat, ut et frumenti et liquido-

10) Conf. vol. I p. 96 adn., p. 140. Praesertim multa in hoc genere commentos esse constat Hebraeos veteris testamenti interpretes.

11) Haec explicata sunt a Boeckhio p. 117, Christio p. 56 s. (commentarii in vol. I p. 67 adn. 5 citati), nobis in Philologi vol. XXII p. 205 s. 210 s.

12) Mus. Rhen. XX p. 66 s.

rum mensuras promiscue ponat et Atticas statim adiungat, medimnum et choenicem. Quae etsi sine ordine composita sunt, tamen omnino mutuae harum mensurarum rationes recte traduntur. Difficilior est locus de choenice et congio (vs. 69 s.). Sed post verba *cotylas — recipit geminas sextarius unus* apparet cum Endlichero legendum esse *quis* (i. e. quibus) *quater adsumptis*; nam quattuor cotylae sive duo sextarii choenicem efficiunt. Tum poeta, *adde duos*, inquit, nimirum choenices (qua voce masculina usus est perinde ac Graeci eius generis scriptores); nam si uni choenici duae praeterea adduntur, fit congius sex sextariorum (conf. praef. crit.).

Minimas mensuras, ut in Graecis tabulis fieri solet, pondere exigit. Cyatho tribuit drachmas decem, quae ratio convenit cum vetustissima tabula medicinali (p. 208, 27) aliisque. Addit oxybaphum quindecim drachmarum, unde efficitur id a scriptore quarta heminae parte aestimari convenienter ad vulgarem usum. Tum definit reliquas mensuras, mystrum, chemen, coclear, quarum nos hanc tabulam a sextario orsi proponamus:

sextarius	1					
hemina	2	1				
oxybaphum	8	4	1			
cyathus	12	6	$1\frac{1}{2}$	1		
mystrum	48	24	6	4	1	
cheme	144	72	18	12	3	1
coclear	288	144	36	24	6	2.

Comparemus cum hac tabula Graecas illas quae supra perscriptae sunt (vol. I p. 91. 99. 127. 130. 139): videmus a primo Galeneae collectionis scriptore (p. 91) et in Cleopatrana tabula (p. 127) oxybaphum perinde atque in hac tabula quartam heminae partem dici, reliqua autem omnia diversa esse. Contra tres reliquae tabulae (p. 99. 130. 139), quae ipsae inter se congruunt, ab hac tabula discrepant in oxybaphi definitione, sed consentiunt de mystro; ac vero consentirent etiam de cocleari, nisi poeta chemen inter mystrum et coclear interposuisset. Quod qua de causa fecerit, ipse dilucide exponit: voluit enim sexta-

rium non solum duodenariis partibus, ut vulgo fieri solebat[13]), sed continuata assis distributione eundem usque ad scripulum dividi. Quae descriptio num vulgari in usu apud Romanos medicos fuerit, ego hic disquirere nolo: satis est demonstrasse eam diversam esse a bonis illis auctoribus qui Graecas tabulas, sed eas ipsas maxime Romanorum in usum, composuerunt.

Postquam poeta de his minimis sextarii partibus absolvit, tres mensuras amphora maiores adiungit, Atticum metretam, quem ipse Atticam amphoram sive cadum dicit, tum culleum, maximam Romanorum mensuram, denique artabam Aegyptiam illam quam scriptor περὶ μέτρων tribus modiis cum triente definit (I p. 62 s. 258, 20); nec aliter hic poeta: ***artabae modii superest pars tertia post tres*** (modios scilicet).

Tum perinde atque in Graecis tabulis plerisque sequitur comparatio ponderis variorum liquorum (vs. 91 ss.). Ubi videmus poetam eam rationem secutum esse quam Oribasius et Dioscorides tradiderunt (p. 101. 224, 7. 240 s.), qua quidem aquae vel vini sextarius habet uncias XX sive libram cum besse, olei uncias XVIII sive sesquilibram, mellis uncias XXX sive libras II S. Prudenter autem poeta addit non plane idem esse aquae et vini pondus, sed multas esse pro regionibus locorumque natura differentias. Quod argumentum ut primum attigit, ad latiorem eius rei demonstrationem se convertit porroque ad alia perducitur, quae cum plane pertineant ad doctrinam physicam, hoc loco explicari non possunt; sed breviter tamen commemoro istam alteram carminis partem ea maxime de causa memorabilem esse, quod inde, quantum Romani medici in physicis processerint, cognosci potest.

Postremo restat ut de aetate huius docti poetae ea repetamus quae Schenkelio et Christio visa sunt, quorum alter saeculo quarto exeunte vel quinto ineunte carmen scriptum esse coniecit, alter idem ad tertium saeculum Diocletianique tempora revocavit[14]). Ac mihi quidem

13) Vide nostram metrologiam p. 92.
14) Schenkelius l. c. p. 60, Christius in Mus. Rhen. XX p. 70.

Schenkelii sententia probabilior videtur, sed rem in medio relinquo, quoniam certius iudicium fieri non posse intellego nisi subtilioribus quaestionibus de re metrica institutis, quae alienae sunt ab hoc loco.

De carmine quo librae partes breviter describuntur.

Carmini de ponderibus de quo adhuc diximus in qui- 119
busdam libris manu scriptis (v. praef.) adiunctum est alterum brevius ab alio scriptore ortum, quo librae sive assis partes breviter explicantur (fr. 121). Id quinto demum vel potius sexto saeculo scriptum esse probabiliter coniecit Schenkelius[1]).

In hoc carmine perinde atque in illo superiore (vs. 45—52) primum librae partes duodenariae enumerantur (vs. 1—7), quibus additur sescuncia *unciolae mediam iungens*, h. e. ex uncia una et dimidia composita.

Tum scriptor non solum commemorat unciae vicesimam quartam partem esse scripulum, sed addit etiam plenam unciae divisionem hanc:

pars dimidia est stater sive semuncia[2])
— tertia — duae sextulae sive duella[3])
— quarta — siclus sive sicilicus sive sicel[4])
— sexta — sextula sive sescla
— octava — dragma sive olce
— duodenaria est dimidia sextula[5])
— vigesima quarta est scripulus sive gramma.

Denique scripuli partes hae ponuntur:

dimidia est obolus[6])
quarta — cerates[7])
sexta — siliqua

---

1) P. 58 adn. commentarii supra p. 26 adn. 2 citati. Non post sextum saeculum carmen scriptum esse inde efficitur, quod eo Isidorus usus est.
2) V. Isid. fr. 125, 16.
3) Ibid. 15.
4) Ibid. 18.
5) V. Volus. Maec. § 31 et supra prol. § 117.
6) Isidor. fr. 125, 11.
7) Ibid. 10.

octava est calcus, qui ipse duo granula ciceris pendere dicitur[8]).

In hac tabula, sicut infra adnotavimus, singula quaeque accurate conveniunt cum rationibus ab Isidoro traditis, nisi quod ille dimidiam sextulam omittit. Iam si quaerimus, uter horum scriptorum altero usus sit ideoque altero sit posterior, comparantibus omnem Isidori in libris conscribendis rationem reputantibusque, quemadmodum idem de mensuris ac ponderibus scribens varios vetustiorum auctorum libros compilaverit, vix ac ne vix quidem dubium esse potest, quin ex hoc carmine suam doctrinam deprompserit Isidorus, minime vero ab Isidoro hic poeta.

A vulgari Romanorum ratione diversa sunt apud utrumque scriptorem calcus, quarta pars oboli, et cerates sive ceratim. Atque hae quidem barbarae sunt appellationes, ex κεράτιον depravatae; sed hi scriptores cum nomine etiam rem immutaverunt, semiobolo, non siliquae, ceratem aequantes.

De vetere Epiphanii versione Latina.

120 Veterem quam dicunt Epiphanii versionem in Francorum regno scriptam esse iudicat Mommsenus[1]). Iam cum eadem versione sine dubio usus sit Isidorus, apud quem verba *ab initio vero* et quae sequuntur non diversa legantur ab illo contextu[2]), satis arte illius interpretis aetas circumscribitur priore saeculi sexti parte, nisi forte eundem iam quinto saeculo, sed eo ipso extremo, scripsisse existimabis.

Quodsi hanc versionem cum variis illis Graeci operis formis quae supra editae sunt comparamus, facile elucet

---

8) Ibid. 8.

1) V. ad Volus. Maec. p. 286 (*Abhandl. d. Sächs. Ges. d. Wiss.* III 1853): *Die Schrift gehört in ihrer jetzigen Form in jene merkwürdige Reihe lateinischer Bearbeitungen griechischer, besonders alexandrinischer Schriften im fränkischen Reiche wie der Barbarus Scaligeri, die Cosmographie von Ravenna und manches andere Stück.*

2) Sunt hi loci alter versionis Latinae § 30, alter Isidori apud nos fr. 125 § 14.

ei quidem tractatui quem primo loco posuimus (I p. 259) simillimam esse hanc Latinam interpretationem[3]), sed tamen Graecum exemplum, quod interpres in manibus habuerit, nonnullis locis propius ad integrum Epiphanii operis contextum accessisse quam eam Graecam scripturam quae nunc vulgata est. Nam et stamni mensura, quae legitur in indice Epiphaniani libelli, omissa autem est in ipso contextu, servata fuit in Graeco Latini interpretis libro[4]), et locus de talento ibidem integre scriptus exstitit, qui in nostris libris gravius corruptus est[5]). Quamquam alia insuper menda hoc loco intulerunt ii librarii qui Latinam scripturam a nobis editam propagaverunt; minime enim mihi persuadere possum aut *sexcentae millesimae* imperitissime pro ͵ϛ i. e. *sexies millesimae*, aut *X assaria* pro *LX* incuriose scripsisse ipsum interpretem, qui in reliquis convertendis et religiosum et bene de his rebus instructum se praestiterit. Ex his igitur mendis alterum in ipso contextu, alterum certe in adnotatione corrigendum esse duximus.

De Isidori mensurarum et ponderum descriptione. De reliquis fragmentis in hanc collectionem receptis.

Quae Isidorus Hispalensis in uberrimo etymologiarum 121
opere de mensuris ac ponderibus scripta reliquit ea nobis in hac praefatione ita quasi termini loco fuerunt, ut, quoniam iam ad saeculum sextum extremum ac posteriora tem-

3) Incipit interpres ab Epiphanii a nobis editi § 4, ac deinceps singula eodem ordine persequitur. De stamno apud Epiphanium omisso vide adn. 4. Congii definitionem in interpretatione perinde atque apud Epiphanium sequitur ponderum explicatio (vol. I p. 142), cui utrobique adiuncta est extrema pars de mensuris.

4) V. vol. I p. 260, 7, ubi ϲτάμνοϲ χρυϲῆ inter congium et marim posita est, et conf. prol. p. 142. In Latina interpretatione stamnus locum obtinet § 19 inter capsacim et cotylam.

5) Scripturam Petavianam a nobis editam non variant G. Dindorfii libri. At interpretem apparet non haec corrupta, sed illa fere in suo libro legisse quae nos e codice Parisino 2665 attulimus vol. I p. 143 extr.

pora pervenimus, continua explicatione harum recentiorum reliquiarum abstineremus, et quae dicere necesse videretur ea quam brevissima oratione comprehenderemus.

I. Quemadmodum Isidorus e vetustiorum scriptorum libris sua de mensuris ac ponderibus praecepta conglutinaverit, ii demum apte exponere poterunt qui omnem rationem quam Isidorus in opere componendo secutus sit illustrandam sibi proposuerint. Hic satis est breviter commemorare de mensuris agrorum Isidorum usum esse Balbi expositione et Columellae libris, de reliquis carmine de ponderibus, altero carmine de libra partibusque eius, Latina Epiphanii versione, denique variis Graecis tabulis de eodem argumento conscriptis.

II. Post Isidorum posuimus nonnullas incertorum scriptorum tabulas, quas in ista recentiore aetate ex antiquioribus exemplis in hanc esse formam redactas aut exploratum esset aut probabile videretur. Ut primam ex his tabulis (fr. 128) ab interpolatore insertam esse mediae Balbi expositioni acute perspexit Lachmannus. Tum altera (fr. 129) et ex priore tabula et Balbi expositione concinnata est. Additae tamen in centuriae definitione decempedae quadratae et pedes quadrati; et horum quidem summa recte esse dicitur $\overline{L}$ *DCCLX milia*, quae legenda sunt *quinquagies centena septingena sexagena milia* (= 5760000). Praeterea in eadem tabula (§ 2) praeter decempedam Romanam illustratur pertica quaedam provincialis, quae XII pedes, singulos XVIII digitorum habere dicitur. Nimirum haec est eadem pedalis mensura quam in Germania in Tungris inveniri Drusianamque appellari dicit Hyginus (fr. 114, 3); etenim monetalis pes et sescuncia sunt digiti XVIII.

Denique ad hanc nostri libri partem retulimus breviores duos locos de castrensi iugero[1]) et de mensuratione iugeri (fr. 130. 131).

---

1) In hoc fragmento iugerus qui *kastrensis* dicitur non differt a vulgari Romanorum iugero; nam tribuuntur ei ab hoc scriptore 288 decempedae quadratae sive ped. quadr. 28800. Sed quia quadrata ea mensura esse non pot-

III. Adiunxi deinde quinque tabulas quibus aut sola pondera aut pondera et mensurae explicantur, primum illam Bobiensem (fr. 132), de qua infra singillatim disputatum est (§ 122), tum duas e codicibus IX vel X saeculi repetitas, alteram e Bernensi (fr. 133), e Gudiano alteram (fr. 134), denique duas e Mutinensibus libris saeculi XIII et XV descriptas (fr. 135. 136), de quibus quae adnotanda essent omnia exposui in praefatione.

IV. Tum perveni ad alia quae extrema sunt et aetate et auctoritate. Sunt excerpta ex Isidoro e Gudiano codice a Lachmanno edita, quae cum partim a nobis secundum Vaticanum librum praestantissimum recenseri possent, non dubitavimus ea in hanc collectionem recipere (fr. 137—139). Sed alienum a proposito duximus illa Isidori capita repetere quae nulla fere re immutata ex Isidoro descripserunt veteres gromaticae collectionis auctores, ediditque e codice Gudiano alteroque Rostochiensi Lachmannus (p. 366—70). Haec cum vetustissima Isidori editione nuper contulit G. Friedleinius[2]), eademque nunc maximam partem comparare licet cum Isidori contextu e vetustissimis libris a nobis edito, unde apparebit e codicibus qui similes fuerunt Monacensium duorum[3]) compilatorem hos Isidori locos repetivisse. Sunt praeterea loci quidam de mensuris in

---

est (nulla enim est simplex radix eius numeri quadrata), initio *quadratus* correxi in *quadratas*. Porro antiquior qui dam auctor scripserat iugerum in circuitu (conf. fr. 128, 5) habere perticas 72 (nam habet bina latera 24, bina 12 perticarum; unde hic scriptor absurde effecit singula latera esse 18 perticarum (nimirum non vidit talem quadratam figuram habere perticas 324, non 288). Hoc igitur de quadrata iugeri figura erravit scriptor: reliqua autem quae tradit minime neglegenda: primum esse mensuram quandam tabulam, quartam iugeri partem, quae habeat perticas quadratas 72; tum iugerum capere castrenses modios 3: quo ex loco efficitur castrensem modium duobus vulgaribus modiis aequalem fuisse (conf. vol. I p. 40 s.).

2) V. Fleckeiseni annales 1863 p. 661 s.

3) Conf. verba apud Lachmannum p. 367, 14 s. cum nostra adn. crit. ad fr. 123, 1, tum apud Lachmann. p. 368, 11 ss. cum adnot. ad fr. 123, 14.

farragine illa geometricarum et gromaticarum reliquiarum quae vulgo sub Boetii titulo fertur. E quibus unum emendate edidit Lachmannus, alii duo in editione Boetii principe exstant repetitique sunt in posterioribus[4]); sed hae reliquiae nec per se ullum fructum afferre possunt ad veterum mensurarum ac ponderum scientiam, nec omnino, ut opinor, his uti licebit prius quam de omni Boetii geometrico opere deque aliis quae iniuria olim Boetio tribuerunt satis pro rei gravitate disputatum erit[5]). His accedit scriptor saeculi decimi, non mediocri, ut illis temporibus, doctrina, Abbo Floriacensis, cuius e commentariis in Victorii calculum scriptis partes selectas nuper edidit Christius[6]). In quibus nonnulli loci sunt de ponderibus et mensuris antiquis[7]), quos minime neglegendos esse existimo; sed et aetas ipsa qua haec conscripta sunt me prohibuit, ne ea in hunc librum reciperem, nec volui, cum ipse plane nihil meo studio addere possem, tantam partem Christii editionis repetere.

V. De Calvi interpretatione tabularum Alexandrinarum infra separatim dicemus (§ 123).

De tabula codicis Bobiensis.

122 Carmini de ponderibus (§ 118) in codice Bobiensi adscripta est brevior quaedam tabula qua Attica pondera homo quidam grammaticus illustrare conatus est[1]). In ea numeros insigniter corruptos esse non latuit Endlicherum, etsi rectam eos emendandi viam non invenit, quam nuper

---

4) V. Lachmann. p. 407—408, 2, Boetii editionem Basileensem anni 1546 p. 1212 et 1228.

5) Post Blumium et Lachmannum (Gromat. vol. II p. 64—96) nuper de hac re impeditissima disputaverunt G. Friedlein (*Gerbert, die Geometrie des Boethius* cet. Erlang. 1861, idem in Fleckeiseni annalibus 1863 p. 425 ss.) et M. Cantor (*Mathematische Beiträge zum Culturleben der Völker,* Hal. 1863 p. 184—198).

6) *Sitzungsber. d. Münchener Akad.* 1863 p. 141 ss. De aetate Abbonis v. ibid. p. 118.

7) V. l. c. p. 141—146 vs. 3, p. 150 vs. 7—152.

1) Prisciani gramm. carmina ed. Endlicher p. 108 s.

demum ingressus est Christius[2]). Sed nobis ea res ita exponenda esse videtur, ut non solum rationes a Christio concinnatas egregie inter se convenire demonstremus, sed etiam nullam omnino aliam rationem esse convincamus, qua recte haec tabula explicari possit.

Librae partes ita descriptae sunt, ut duobus locis ubi numeri leviter corrupti inveniuntur vera ratio sponte prodeat. In talenti autem minaeque aestimatione et plures numeri iique gravius depravati, nec de ipso drachmarum numero qui conveniat minae ac talento constat. Quae iam sic inter se comparemus, ut quot drachmae ex quaque tabulae parte in minam referendae sint videamus. Tradit scriptor codicis Bobiensis talentum habere

libras	88,	ergo	minam	drachmas	$140\frac{4}{5}$
uncias	468	—	—	—	$62\frac{2}{5}$
stateres	1935	—	—	—	129
dragmas	7340	—	—	—	$122\frac{2}{3}$
scripulos	23220	—	—	—	129
obolos	45440	—	—	—	$126\frac{2}{9}$
siliquas	92880	—	—	—	129

tum idem dicit minam habere

libram 1 uncias 4 dr. 1,	i. e.	drachmas	129
stateres 22 dragmam 1	—	—	89
dragmas 199 . . .	—	—	199
scripulos 387 . . .	—	—	129.

Iam hanc tabulam si oculis collustraveris, sponte apparebit eos numeros in codice integros esse, ex quibus par drachmarum summa ad minam redacta oriatur. Redeunt autem quinquies drachmae CXXIX ex diversis numeris computatae; ergo efficitur hunc unum verum numerum esse drachmarum quae in minam incurrunt, reliquos autem numeros corruptos ex hac genuina ratione corrigendos esse. Hinc Christius veram scripturam restituit[3]), quam nos hac tabula oculis proponimus:

---

2) V. commentarii vol. I p. 67 adn. 5 citati p. 64 s.

3) Erratum est in uno numero siliquarum quae in talentum incurrunt, ubi XCI milia leguntur pro XCII, sicut recte habet codex.

talentum	1							
mna	60	1						
libra	$80\frac{2}{3}$	$1\frac{11}{32}$	1					
uncia	968	—	12	1				
stater	1935	$32\frac{1}{4}$	24	2	1			
dragma	7740	129	96	8	4	1		
scripulum	23220	387	—	—	12	3	1	
obolus	46440	—	—	—	24	6	2	1
siliqua	92880	—	—	—	48	12	4	2.

Hi sunt numeri quos ipse scriptor tabulae posuit, in quibus (ut numerorum notas nunc vulgares teneamus) librae $80\frac{2}{3}$ breviatae sunt ex $80\frac{20}{32}$, unde etiam 968 unciae effectae; reliqua autem omnia accurate computata.

Postquam hac longiore quaestione antiqua huius tabulae forma restituta est, iam brevius eiusdem de auctoritate dicere licet. Duo sunt quae diversa ab reliquis auctoribus hic scriptor tradit, siliquam esse drachmae partem duodecimam et minam habere drachmas CXXIX. Ex his prius plane incredibile est magnamque prodit scriptoris ignorantiam aut temeritatem. Nam siliquae definitio non minus certa et immutabilis quam solidi et librae fuit, postquam Constantinus omnem nummorum et ponderum rationem constituit; ergo si quis scriptor diversa in hoc genere tradit, eius fides etiam de reliquis suspecta redditur. Nimirum proprium veteris minae Atticae pondus in hac tabula una drachma auctum[4]), atque hinc reliquae et minae et talenti rationes effectae. Quod minae incrementum quis hominum qua de causa et quo tempore excogitaverit, ego ne coniectura quidem definire ausim, nec vero id meum esse duco, qui huic tabulae minime eam auctoritatem tribui posse censeam, ut inde antiquum et proprium talenti Attici pondus, diversum a reliquis auctoribus omnibus, efficiatur[5]).

4) Vetus Attica mina a Solone constituta habuit uncias Romanas 16 (vol. I p. 90), sive denarios Neronianos 128, pro quibus in hac tabula ponuntur 129.
5) Conf. Christium l. c. p. 65 s.

De ponderum et mensurarum expositione quam Calvus latine expressit.

Supra demonstravimus Calvum Ravennatem, qui primus 123 Hippocratis libros latine edidit, his sub Africani titulo adiunxisse tractatum quendam de ponderibus et mensuris (prol. § 114). Iam magna quaestio est, graecene an latine scriptum hunc locum invenerit Calvus. Possis dicere latine, cum eodem loco ediderit Latinum scriptorem Balbum (v. ibid.). At hoc neutiquam verum esse videtur. Primum enim omnis stili habitus ac color, qualis per hunc tractatum a Calvo editum valet, interpretem recentioris aetatis, non Latinum scriptorem vetustiorem prodit; tum certe veri similius est Graecae expositioni quam Latinae praefixum esse Africani, Graeci scriptoris, nomen; denique quod ipse Calvus dicit se hunc tractatum aliis plurimis quos in manibus habuerit praetulisse, quia magis et cum Hippocratis medelarum ponderibus et mensuris, et cum Latinis convenire et facere videretur, quis est qui neget his verbis Graecum fragmentum significari a Calvo perinde atque omnia Hippocratis opera in Latinam orationem conversum? Quod cum demonstratum sit, facile ab omnibus hoc alterum concessum iri puto, Calvum, ut qui Hippocrateam molem indefesso interpretandi studio superaverit, etiam hunc exiguum tractatum apte et cum fide convertisse. Cuius rei, ne qua dubitatio relinquatur, certa sunt argumenta: nimirum plurima quae Calvus habet etiamnunc graece exstant illiusque fidem et diligentiam comprobant. Quam paucissimis potero absolvam: Calvus per voculam *ve* Graecis ponderum et mensurarum vocabulis addere consuevit Latinas appellationes, ut *mnas minasve* (fr. 141, 2), *tropaica duo quinariosve duos* (ibid. 9), vel Latinum vocabulum praemisit Graeco, ut *sextarius xestesve in duas lances cotulasve* (ibid. 12); in reliquis autem nihil nec consilio nec corrigendi studio mutavit; denique sicubi erravit, ipso Graeco libro manu scripto in errorem inductus est.

Iam vero omnis haec disputatio ita instituenda est, ut quaeratur, quale Graecum exemplum Calvus expresserit.

Magnam auctoritatem inter Graecas reliquias tribuimus duobus fragmentis, alteri περὶ ταλάντων (95), alteri περὶ μέτρων (81), quae in codicibus hoc quo statim dixi ordine posita sunt (prol. § 86). Ea iam, ut brevis sit appellatio, Alexandrinas tabulas vocemus. Has igitur tabulas Graecus ille scriptor quem Calvus expressit ita in unum tractatum coniunxit, ut et initio et in fine pauca aliunde repetita adderet, et a priore tabula ad alteram transitum faceret his verbis quae sunt apud Calvum *Sed nunc de mensuris* (§ 10). Iam in libro Graeco quo usus est Calvus Africano, celeberrimo scriptori, haec expositio tributa est, eundemque titulum in alio codice invenit Salmasius (vol. I p. 81), qui amphorae definitionem eandem quam Calvus expressit Graecam affert ex *Iulio Africano in fragmento περὶ μέτρων* vel ex *Africano in Cestis capite περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν*. Hic ipsa Salmasii verba magnam dubitationem relinquunt; qui si ista Graeca invenit *in fragmento* περὶ μέτρων, hac statuendum est quod statim dicturi sumus; sin vero ex Cestorum opere ea repetivit, longe aliter se res habet nec negari potest ipsum Africanum hanc expositionem e vetustioribus tabulis, ipsas illas Alexandrinas dico, concinnavisse suumque in opus collecticium inseruisse. Sed residet in mente scrupulus, cum altero loco *fragmentum* Africani citaverit Salmasius. Ne multa, equidem arbitror minime omne Cestorum opus aut maiorem partem eius, unde hoc de mensuris caput laudaverit, Salmasium in manibus habuisse, sed solum hoc fragmentum in libris invenisse idque sua coniectura ad Cestos Africani retulisse. Quod si verum est, relinquitur ut minime pro comperto habendum sit Africanum haec scripsisse: quam facile enim censemus fieri potuisse, ut huic fragmento a librario aliquo, quo maior auctoritas esset, celeberrimum Africani nomen praefigeretur.

Haec in universum disputanda fuerunt: iam singillatim Graecum Calvi librum cum Alexandrinis tabulis aliisque eius generis fragmentis comparemus.

Primum Graecus Calvi scriptor (fr. 141 § 1) breve exordium fecit simile quibusdam Graecis tabulis (fr. 51 vs. 4, fr. 66, 1); tum posuit totam Alexandrinam tabulam

quae est de ponderibus (fr. 95). Hic pauca admodum apud Calvum ab ea forma quam nos edidimus differunt[1]), in quibus gravissima sunt duo, primum quod Calvi scriptor (§ 6 = fr. 95, 5) variis drachmis in Alexandrina tabula enumeratis addidit Deliacam, tum quod in fine (§ 9 = fr. 95, 8) Calvi liber et nonnullis corruptelis vacavit quibus reliqui codices laborant et quaedam non iniuria omisisse videtur. Quae iam sic inter se conferamus ut ex Calvi interpretatione Graeca illius scriptoris verba restituamus eaque quae in Alexandrina tabula differunt uncis inclusa adiungamus: Διαιρεῖται δὲ [ἐκ περιουcίαc καὶ add. Al.] τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίουc εἰc μέρη ͵αρνβʹ [͵αcνβʹ Al.]· ἔχει γὰρ τροπαϊκὰ βʹ [μέρη ιβʹ Al.], νούμουc δʹ, ἀccάρια δὲ ιϛʹ. ὁ δὲ νοῦμοc οὐγγίαν ἔχει τῷ cταθμῷ. τὸ δὲ ἀccάριον διαιρεῖται εἴc τε S καὶ γʺ καὶ δʺ καὶ ϛʺ καὶ ηʺ καὶ θʺ καὶ ιʺ [καὶ ιαʺ add. Al.] καὶ ιβʺ [καὶ ιϛʺ καὶ ιηʺ add. Al.] καὶ κδʺ, καὶ λϛʺ καὶ μηʺ [καὶ μʺ καὶ νʺ Al.] καὶ οβʺ. τὰ δὲ μέρη ταῦτα ἰδίαc ὀνομαcίαc ἔχει παρὰ τοῖc Ῥωμαίοιc λογιcταῖc. Reliqua quae huc pertinent supra explicuimus (§ 115 extr.).

In altera parte quae respondet Alexandrino fragmento περὶ μέτρων (81) praeter leviores quasdam res infra adnotatas[2]) maxima differentia est post verba καὶ τὰ ἐλαιρὰ

---

1) Omittit Calvi scriptor verba τὸ δὲ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ usque ad τεccάρειc (p. 301 vs. 3—9); tum idem post verba τῇ Ἰταλικῇ μνᾷ p. 301 vs. 16 addit: *quae denarius vocatur, plurimi enim nunc fere in omnibus Italica utuntur;* tum pro verbis p. 301 vs. 20 editis πάλιν τὸ γράμμα ψεμμῶν γʹ. ὁ θέρμοc κερατίων βʹ Calvi scriptor habuit πάλιν τὸ γράμμα (ἔχει) θέρμουc γʹ, ὁ θέρμοc κεράτια βʹ, quibuscum confer verba a Salmasio citata (I p. 81, II) et Parisini libri scripturam (ad I p. 301 vs. 19); denique Calvi scriptor omisit proxima verba ὡc εἶναι cet. (p. 301, 21—302, 2).

2) Amphorae definitio in Calvi libro iisdem verbis scripta erat quae citat Salmasius: v. vol. I p. 81, I. In Alexandrina tabula p. 257, 25 libris traditum est βρόχουc; Calvus autem πρόχουc legisse videtur. P. 258, 1 Alexandrina tabula recte δὴ κογγία habet, ubi δικογγία legit Calvus. Paulo post verba quae apud Calvum inveniuntur *sextarium vero seu xesten Aegyptii henion dicunt* repe-

παραπληϲίωϲ cet. (§ 13 = fr. 81, 3 vs. 9). Hic enim in Alexandrina tabula et corrupte et mutile scripta ἔϲτι δὲ ὁ μετρητὴϲ ἐλαιρὸϲ †δυνατὰ ἔχων ιϛ΄. καὶ καλεῖται ὁ μο ἑκτεύϲ; Calvus autem multo plura in libro suo legit: *metretes autem olearius huius duplus est*, *caetera vero concordant. quam enim comparationem rationemve librae pondus ad mnam habet*, *librae mensura eandem ad cotulam habet*, *sextarii scilicet xestaeve dimidium. Medimnus autem Atticus modios sex Italicos capit. modius autem hecteus vocatur.* In his quae de medimno leguntur sine dubio vera ac genuina sunt: unde reliqua etiam quae Calvus addit minime spernenda esse apparet. Dixit antea scriptor Alexandrinae tabulae itemque is quem Calvus expressit mensuras olearias a centumpondio Romano principium habere. Id equidem re ab omnibus partibus considerata aliter expedire non possum nisi hoc modo, sub Romanorum imperio in aliqua provincia eam mensuram oleariam quae Attico metretae responderet definitam esse C libris Romanis pro CVIII[3]), ipsam autem olei amphoram in eadem provincia hac quam dixi centenaria mensura duplo maiorem fuisse. Quid multa? in Aegypto artaba vetustior (prol. § 39) aequalis fuit Attico metretae, duae autem artabae medimnum Aegyptium effecerunt. Iam concludimus fuisse in eadem terra antiquam oleariam mensuram eodem modo ac medimnum, hanc autem postea a Romanis pondere CC librarum definitam esse, cuiusque partem CCLXXXVIII (vol. I p. 124) fuisse cotylam[4]). Haec, ut significavi, eli-

---

tita sunt ex fr. 78, 20, ubi ἡνίον habet codex. Tum apud Calvum § 15 vitiose addita verba *sexque artabis constat* et deinde post *modiorum trium* omissa trientis nota: integra habes in Alexandrina tabula p. 258, 18 et 20. Porro apud Calvum § 16 extr. addita inveniuntur *saton autem satorumve paucae sunt differentiae*. Denique Alexandrinae tabulae paragraphum septimam iam secundum Calvum emendavimus; ipse autem Calvus vitiose habet *vini quatuor et decem librarum* (pro *decem*) et paulo post § 18 *granula quingenta* (pro *quadringenta*).

3) Sextarius olei pendit sesquilibram (fr. 64, 24 etc.), metretes igitur, qui est 72 sextariorum, libras 108.

4) Hanc esse iudico cotylam Alexandrinam quae in

cienda sunt e Graeci scriptoris verbis a Calvo expressis, modo ne quid a Calvo in hac re impeditissima erratum esse suspicemur. Reliqua autem quae supra ex Calvi interpretatione exscripsi: *quam enim comparationem* cet., ea apta ratione explicare non possum.

Denique Graecus scriptor quem Calvus secutus est addidit notas ponderum ac mensurarum. Hic apparet Calvum proprios notarum ductus, quos in Graeco libro invenit, ne novi typi in officina faciendi essent, exhibere noluisse, pro his autem primas litteras cuiusque vocabuli posuisse. Sed in libro illo Graeco sine dubio similes notae fuerunt iis quas in priore volumine passim edidimus, et de talenti nota confer Salmasium supra a nobis citatum (I p. 81, V).

De apparatu Petri Danielis.

Iam cum ad calcem huius praefationis pervenerim, re- 124
stat ut ex litteris quas prompto ac benevolo studio ad me dedit H. Usenerus describam apparatum Petri Danielis[1]), qui Bernae servatur (cod. 189 in fol.). Nimirum vir ille doctus consilium ceperat scriptores de mensuris ac ponderibus edendi, multaque quae ad propositum pertinerent collegerat. Sic exstitit apparatus manu scriptus, quo haec continentur:

I. Apographum codicis Bernensis A 57 saec. X (form. quadr.). Continet hic liber foliis XVI veterem Epiphanii versionem hoc titulo: INCIPIT EPIFANII | EPI CYPRIANI CIROTUS | DE HIS QUAE IN DIUINA SCRIP | TURA SUNT MENSURIS ATQ. PONDERIBUS. | ΛΑΝΔЄΦΡΗΔΟϹ. | *Si quis uult eorum* cet. Extrema sunt *Talentum super omnia pondera quibus alia appenduntur excellet.* Addit Usenerus hos duos quaterniones videri maioris cuiusdam codicis reliquias esse, posteriore demum tempore in singu-

---

vetustissima tabula medicinali (fr. 29, 5, prol. I p. 69 s.) octo olei unciis aestimatur. Nam divide 200 libras Romanas per 288: prodeunt unciae 8⅓.

1) Petrus Daniel iuris consultus, Servii editor nobilissimus idemque Plauti et Petronii, mortuus est a. 1603 [sic Jöcher. secundum Baillet *jugem. des sav.*].

lare volumen colligatas. Pertinet igitur haec quae servata est vetustae versionis pars ab initio libri Epiphaniani (p. 4 ed. Dindorf.) paene usque ad finem, nam post talenti definitionem (p. 32 vs. 16 Dind.) pauca admodum in Graeco contextu leguntur. Ergo differt eadem ab ea versione quam nos edidimus (fr. 122), quae tantum mensuras ac pondera continet, non reliquas res sane alienas a proposito (prol. § 87). Sed redeam ad apparatum Danielis. Huius igitur codicis apographum facit primam partem illius voluminis: sequitur L. Danaei epistula Genabo ad Ligerim data, qua ille ostendit se apographum a Daniele missum suis adnotationibus auctum remisisse[2]). Tum haec inveniuntur:

II. folium formae octavae hoc titulo '*Ex. v. cod. Errici Memmii Volusii Metiani*'.

III. duo folia formae maioris: '*Isidori Iunioris Hispalensis Episcopi De Ponderibus ex XVI libro Etymolog. cap.* 24'. Adnotata est varia nescio quorum codicum scriptura.

IV. folium unum, ubi *follis* et μιλιάριον (immo μιλιαρίσιον) explicantur.

---

2) Hoc est epistulae initium: *P. Danieli Togato et sibi chariss.* | *L. Danaeus in Christo s. p. D.* | *Remitto ad te mi Daniel eam quam de Epiphanio Ancorato Latinam fecisti partem quae apud me reliqua erat. quae si diutius, quam speraras, a me retenta est, id non tam tui oblivioni, quam meae pigritiae et ingenii ruditati tribuas, quoniam* (an *qua*?) *id non assequebar facile quod multis in locis occurrebat. Emendavi igitur multa, sed dum in calce tuae versionis versarer, ecce e nostris studiosus quidam Epiphanium totum a Iano Cornario Latine iampridem factum attulit. In qua legi ea ipsa translata quae a te conversa sunt. Id quod te nescire nolui, ut ne actum agas, nisi si quas annotationes forte edere in ipsam Cornarii versionem malueris.* Ad quae Usenerus haec acute adnotavit: *Hieraus geht hervor, dass Danaeus den Auftrag des P. Daniel ganz falsch verstanden haben muss. Die vorhergehende Abschrift des cod.* A 57 *ist von Danaeus ganz durchcorrigirt (auch gelegentlich mit Anmerkungen versehen, z. B. gleich* fol. 1 *über dem Titel des Buches* Ancyrotus), *offenbar unter der Voraussetzung, dass P. Daniel die (vermeintlich) selbst gefertigte Version dem griechischen Texte als Erläuterung gegenüber stellen woll.*

V. duo folia, quae continent emendationes in Graecum Epiphanii contextum. In margine adnotatum '*Cassander* (an *Cassonides*?) *in Liturgia meminit vet. Interpretis Epiphanii*'.

VI. duo folia eiusdem argumenti hoc titulo '*In Epiph. de ponderibus Et mensuris*'.

Praeterea Daniel nonnullos libros impressos collegerat suasque notas et varias codicum scripturas adiecerat, quae collectio nunc est codex K 178. In hoc volumine cum alia tum Prisciani, Rhemnii Fanni, Bedae Angli, Volusii Maeciani libri inveniuntur.

Haec Usenerus, quae satis demonstrant maximo opere optandum esse, ut illius apparatus uberiorem cognitionem quam primum habere liceat.

METROLOGICI SCRIPTORES
ROMANI.

108. *E M. Terentii Varronis de lingua Latina libro V* (169—174).

Multa pecuniae signatae vocabula sunt. aeris et 169
argenti haec: as ab aere. dupondius a duobus pon-
deribus, quod unum pondus assipondium dicebatur.
id ideo, quod as erat libra pondus. deinde ab nu-
mero reliquum dictum usque ad centussis, ut as sin-
gulari numero, ab tribus assibus tressis, et sic pro-
portione usque ad nonussis. in denario numero hoc 170
mutat, quod primum est ab decem assibus decussis,
secundum ab duobus decussibus bicessis. reliqua
conveniunt, quod est, ut tricessis, proportione usque
ad centussis, quo maius aeris proprium vocabulum
non est. nam ducenti et sic proportione quae di-
cuntur, non magis asses quam denarii aliaeve quae
res significantur.

---

4. a] ab *Pri* 6. pondo *Mommsen. Gesch. d. Röm. Münzw. p. 193 adn. 75* 7. reliquum dictum *om. Pri* centussem *Pri* ut as singulari numero *om. Pri (probat Spe p. 13)* a *ante* singulari *add. N* 10. decusis *N* 11. decusibus *N* bicesis *N*, vicessis *Pri* *post* bicessis *F N add.* quod dici solum (solitum *Turneb.*) a duobus decussibus *(om. N)* bicensis (bicessis *vel* bigessis *alii*) 12. tricensis *N* 13. *post* centussis *codices Prisciani add.* quod et Persius ostendit, Et centum Graecos uno centusse licetur, *quae non scripsit ipse Priscianus (Spe p. 13)* quo] quod *N* 15. aliaeve quae] aliaeque *Pri*

171 Aeris minima pars sextula, quod sexta pars unciae. semuncia quod dimidia pars unciae. se valet dimidium ut in selibra et semodio. uncia ab uno dicta. sextans ab eo quod sexta pars assis, ut quadrans quod quarta, et triens quod tertia pars. semis quod semias, id est [ut] dimidium assis, ut supra dictum est. septunx a septem et uncia conlisum.
172 reliqua obscuriora, quod ab deminutione, et ea quae deminuuntur ita sunt, ut extremas syllabas habeant. ut deunx dempta uncia, dextans dempto sextante, dodrans dempto quadrante, bes, ut olim des, dempto triente.

173 In argento nummi: id ab Siculis. denarii, quod denos aeris valebant, quinarii, quod quinos. sestertius, quod semis tertius, dupondius enim et semis antiquus sestertius est, et veteris consuetudinis ut retro aere dicerent, ita ut semis tertius, quartus semis pronuntiarent. ab semis tertius sestertius dictus.
174 nummi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat, et erat ex argento parva. sembella, quod

1. unciae est. semuncia *Pri* 2. semiuncia *N* se] sic *FN rel.* se valet *usque ad* semodio *om. Pri* 4. assis, ut] assis est *Pri* 6. semias] semis *Pri* ut *seclusi idemque om. Pri* 7. collisum *Pri*, conclusum *FN et rel. libri Varronis* 8. diminutione *Pri* 10. deunx] de una *FN*, una *Pri*; *emendavit Spe (p. 14) idemque eiecit* deunx *quod libri Varronis et Priscianus post* uncia *habent* 14. sextertius *N*, *idemque vs. 16* 15. quod semis tertius] duobus semis *Pri*, quod duobus semis additur *Muellerus e coni.* 17. aera *Pri* ita ut — pronuntiarent] ut semis quintus, semis quartus, semis tertius nuntiarent *Pri* 18. sestertius *om. N* 19. decuma] a decima *Pri* quod libram *cet. om. Pri* as] aeris *Scioppius et Mue* 20. simbella *N*

libellae dimidium, quod semis assis. teruncius a tribus unciis, quod libellae ut haec quarta pars, sic quadrans assis eadem.

109. *Ex eodem libro locus de agri mensuris* (V. 34. 35).

Ager dictus in quam terram quid agebant, et unde 34
quid agebant fructus causa: alii, quod id Graeci dicunt ἀγρόν. ut ager quo agi poterat, sic qua agi actus. eius finis minimus constitutus in latitudinem pedes quattuor — fortasse an ab eo quattuor, quod ea quadrupes agitur — in longitudinem pedes centum viginti; [in] quadratum actum et latum et longum esse p. centum viginti. multa antiqui duodenario numero finierunt, ut duodecim decuriis actum. iugerum di- 35
ctum iunctis duobus actibus quadratis. centuria primo a centum iugeribus dicta est, post duplicata retinuit nomen, ut tribus a tribus multiplicatae idem tenent nomen.

110. *Ex eiusdem libro de re rustica I* (10).

Modos quibus metirentur rura alius alios constituit. nam in Hispania ulteriore metiuntur iugis, in

---

1. terruncius *N* 2. quod *om. Mue*
7. alii quod *Spe*, aliquod *F*, an quod *La*, *qui haec et cetera usque ad* ἀγρόν *uncis interclusit* 8. αrpo *F* quo *Turnebus*, quod *F* 11. et 13. centum viginti *FLa*, CXX *vulgo* 12. in *seclusi coll. de r. r. lib. I, 10,* hinc *Spe* esse p.] ẽ & *F*, esse *vulgo* 14. duodecim *FLa*, XII *vulgo* actum] actũs *F*, *voluit igitur librarius* actum *corrigere (Spe)* 15. primo a] prima *F* 16. est *F om.* 17. a tribus *La*, actibus *F*, *vulgo om.*

urbanis spatium centum pedum, in agrestibus autem pedum CL [quod aratores candetum nomenant]; semiiugerum quoque arepennem vocant.

6. Ergo, ut dixi, duo actus iugeri efficiunt longitudinem pedum CCXL, latitudinem pedum CXX, quae utraeque summae in se multiplicatae quadratorum faciunt pedum milia XXVIII DCCC.

7. Stadium deinde habet passus CXXV, id est pedes DCXXV, quae mensura octies efficit ∞ passus. sunt ea m. p. V.

8. Centuriam nunc dicimus, ut idem Varro ait, ducentorum iugerum modum. olim autem ab centum iugeribus vocabatur centuria, sed mox duplicata nomen retinuit, sicuti tribus dictae primum a partibus populi tripertito divisi, quae tamen nunc multiplicatae pristinum nomen possident.

9. Haec non aliena nec procul a ratiocinio quod tradituri sumus breviter praefari oportuit. nunc veniamus ad propositum. iugeri partis non omnis posuimus, sed eas quae cadunt in aestimationem facti operis. nam minores persequi supervacuum fuit, pro quibus nulla merces dependitur.

---

1. cen*tũ* *S* 2. nomenant *S*, *et sic scripsit interpolator; super* e *add.* i *manus paulo recentior* 4. iugerum *Ve* 5. CXX] CCXX *S* 6. quae utraeque *om. P* 7. XXVIII dCCC *S* 9. mille *Ve* passus· sunt campum *S (v. praef.)*, passus. sic ueniunt quinque milia pedum *Ve*, sunt passus is ueniunt *cet. P* 12. *post* ducentorum *Ve add.* numero 14. sicut *Ve* 15. tripartito *Ve* 17. pro*cul a rat*^{i}*o*cinio *S* 18. braeviter *S* 19. possumus *SVe (v. praef.)* 20. estimationem *S* 22. mercede penditur *SP*

10. Igitur, ut diximus, iugerum habet quadratorum pedum $\overline{\text{XXXVIIII}}$ DCCC, qui pedes efficiunt scripula CCLXXXVIII.

11. Ut a minima parte, id est ab dimidio scripulo incipiam, pars DLXXVI pedes efficit L, id est iugeri dimidium scripulum.

12. Pars CCLXXXVIII pedes centum, hoc est scripulum.

13. Pars CXLIIII pedes CC, hoc est scripula duo.

14. Pars LXXII pedes CCCC, hoc est sextula, in qua sunt scripula IIII.

15. Pars XLVIII pedes DC, hoc est sicilicus, in quo sunt scripula sex.

16. Pars XXIIII p. ∞CC, hoc est semuncia, in qua scripula XII.

17. Pars XII p. $\overline{\text{II}}$ CCCC, hoc est uncia, in qua sunt scripula XXIIII.

18. Pars VI p. $\overline{\text{IIII}}$ DCCC, hoc est sextans, in quo scripula XLVIII.

19. Pars IIII p. $\overline{\text{VII}}$ CC, hoc est quadrans, in quo scripula LXXII.

20. Pars III p. $\overline{\text{VIIII}}$ DC, hoc est triens, in quo scripula XCVI.

---

2. $\overline{\text{XXQII}}$·dCCC *S*, milia XXVIII·dCCC *Ve* scrupula *Ve ubique*, *corr. P* 3. CCLXXXQII *S* 5. pars aLXXQ *S*, pars CCIXXXVIII *Ve*, pars DLXXII *P* efficiũt *Ve* 7. pedes C quae est *Ve* 9. et 10. pars septuagensima et secunda pars CXLIIII pedes CC hoc est scripula duo. pedes $\overline{\text{CCCC}}$ hoc est sextulã *S*, Pars. lXXII. pedes: pars. XlIIII. pedes. CC. hoc est scrupula duo. Pedes. CCC. hoc est sextula *Ve* 12. $\overline{\text{dc}}$ *S* 14. p. M.CC *Ve* 16. p. II. CCCC *Ve*, *et sic infra (milibus non distinctis lineola superposita)* 22. $\overline{\text{dc}}$ *S*

21. Pars III et XII p. $\overline{XII}$, hoc est quincunx, in quo scripula CXX.

22. Pars dimidia p. $\overline{XIIII}$ CCCC, hoc est semis, in quo scripula CXLIIII.

23. Pars dimidia et duodecima p. $\overline{XVI}$ DCCC, hoc est septunx, in quo scripula CLXVIII.

24. Partes duae tertiae p. $\overline{XVIIII}$ CC, hoc est bes, in quo scripula CXCII.

25. Partes tres quartae p. $\overline{XXI}$ DC, hoc est dodrans, in quo scripula CCXVI.

26. Pars dimidia et tertia p. $\overline{XXIIII}$, hoc est dextans, in quo scripula CCXL.

27. Partes tertiae II et quarta p. $\overline{XXVI}$ CCCC, hoc est deunx, in quo scripula CCLXIIII.

28. Iugerum p. $\overline{XXVIII}$ DCCC, hoc est as, in quo scripula CCLXXXVIII.

112. *E Frontini libro II de limitibus.*

(Vide prol. § 111.)

p.30 *La* Primum agri modum fecerunt quattuor limitibus clausum



1. quincuncxs *S*, quincuns *Ve* 2. CX *S* 5. et XII. p. XIII. dCCC *Ve* 6. septuns *Ve* CLXII·X *S*, CIXXXIIX *Ve* 7. partes duae tertiae *supra lineam habet S ab altera manu, ut videtur* p. XXIIII. CC. hoc est pes: in quo scrupula. CCXIII *Ve* 9. pedes $\overline{XX}$·Id·C· *S* 11. destas *S*, destans *Ve* 12. CCXIII *Ve* 13. pars^{te} *S* tertiae et II *S*, tertiae secundae *Ve* p. XXIII·CCCC *Ve* 14. deunxs *S*, deuns *Ve* 15. pedes XX$\overline{VIII}$ d$\overline{ccc}$ *S*, pedes XXVII.dCCC *Ve*

plerumque centum pedum in utraque parte, quod Graeci plethron appellant, Osci et Umbri vorsum: nostri centenos et vicenos in utraque parte, cuius ex IIII unum latus, sicut diei XII horas, XII menses anni, XII decempedas esse voluerunt. ex actibus conicio acnuam primum appellatum . . . dictum fundum. hi duo fundi iuncti iugerum definiunt

deinde haec duo iugera iuncta in unum quadratum agrum efficiunt, quod sint in omnes partes actus bini in hunc modum



quidam primum appellatum dicunt sortem, et centies ductum centuriam. sunt qui centuriam maiorem modum appellant, ut Cremonae decem et ducentum; sunt qui minorem, ut in Italia triumviralem iugerum quinquagenum.

113. *E Balbi ad Celsum expositione et ratione mensurarum.*

(Vide prol. § 112.)

1. Mensura est conplurium et inter se aequalium [p. 94 *La*] intervallorum longitudo finita, ut pes per unciam, per

1. centum *libri*, centenum *La* 2. Greci *libri La* 3. cente[nos] et uicenos *A*, uicenos et centenos *E*, centenum et uicenum *La* 6. appellatum] *conf. vs. 11. 12 post* fundum *duae falsae figurae sunt in A (vide apud La diagramma 31): ego genuinam figuram eamque post* definiunt *restitui* 10. *post* modum *falsa figura est in A (apud La 32)* 13. Cremone *ALa*, cremonam *E* decem *libri*, denum *La* ducentam *A*, ducenta *E*, ducenum *La*

pedem decempeda, per decempedam actus, per passum stadium, per stadium miliarium, et his similia.

2. Mensurarum appellationes quibus utimur sunt duodecim, digitus, uncia, palmus, sextans, pes, cubitus, gradus, passus, decempeda, actus, stadium, miliarium.

3. Minima pars harum mensurarum est digitus: siquid enim infra digitum metiamur, partibus respondemus, ut dimidiam aut tertiam.

4. Uncia habet digitum unum et tertiam partem digiti.

5. Palmus habet digitos IIII, uncias III.

p.95 *La* 6. Sextans, quae eadem dodrans appellatur, habet palmos III, uncias VIIII, digitos XII.

7. Pes habet palmos IIII, uncias XII, digitos XVI.

8. In pede porrecto semipedes duo, in pede constrato semipedes IIII, in pede quadrato semipedes VIII.

9. Cubitus habet sesquipedem, sextantes duas, palmos VI, uncias XVIII.

10. Gradus habet pedes IIS.

11. Passus habet pedes quinque.

12. Decempeda, quae eadem pertica appellatur, habet pedes X.

13. Actus habet longitudinis ped. CXX, latitudinis ped. CXX.

14. Stadium habet pedes DCXXV, passus CXXV.

15. Miliarium habet passus mille, ∞ p. V, stadios VIII.

---

10. Uncia habet digitum unum et tertiam *Memmianus liber apud Rigaltium*, *om. libri a La collati* 13. quae *E*, que *reliqui et La* 20. II. S. *plerique*, duosemis *G*, *unde* duo semis *La* 27. ∞ p. v *Vaticanus*, pedes V̄ *reliqui*, milia pedum V *La*

16. Mensurae aguntur generibus tribus, per lon- p. 97 *La* gitudinem et latitudinem et altitudinem, hoc est rectum, planum, solidum.

17. Rectum est cuius longitudinem sine latitudine metimur, ut lineas, porticus, stadia, miliaria, fluminum longitudines, et his similia.

18. Planum est quod Graeci epipedon appellant, nos constratos pedes, in quo longitudinem et latitudinem habemus. per quae metimur agros, aedificiorum sola, ex quibus altitudo aut crassitudo non proponitur, ut opera tectoria, inauraturas, tabulas, et his similia.

19. Solidum est quod Graeci stereon appellant, nos quadratos pedes appellamus, cuius longitudinem et latitudinem et crassitudinem metimur, ut parietum structuras, pilarum, pyramidum aut lapidum materias, et his similia.

114. *Ex Hygini libro de condicionibus agrorum.*

(Vide prol. § 111.)

1. Hoc quoque non praetermittam quod plerisque locis inveni, ut modum agri non iugerum sed aliquo nomine appellarent, ut puta [qua] in Dalmatia versus 122 *La* appellant. idem versus habet p. $\overline{\text{VIII}}$ DCXL. ita iugero versus numero sunt III ZZ. ego autem quotiens

---

1. *ad* § *16—19 in libris appictae sunt quaedam figurae (apud La 68—71)* 7. Greci *libri La*

21. aliquo] *immo* alio quo: *conf. p. 60, 9* 22. qua *B*, om. *G*, quo *La* in Dalmatia] in campania quod *G* 24. uersus non sunt *B*, sunt uersus numero *GLa* $\overline{\text{III}}$. I. L. *B*, $\overline{\text{III}}$. L. *G; de nota trientis vide praefationem*

egeram mensuram, ita renuntiabam, IVGERA TOT, VERSVS TOT, ut, si forte controversia esset versum habere pedes $\overline{\text{VIII}}$ DCXL, in iugeribus tamen fides constaret. in provincia quoque Nārbonensi varia sunt vocabula: alii appellant libram, alii parallelam. in Hispania centurias. ita, sicut dixi, in consuetudine alicuius regionis inveniemus [sicut videtur] ita renuntiandum, IVGERA TOT, VERSVS TOT, sive LIBRAE TOT, sive quod aliud vocabulum aliquo modo comprehensum fuerit. ita cum iugera adscripta fuerint, licet peregrinis vocabulis possit aliquid . . . iugerum nobis ratio fuit, fidem servabit.

2. Neque hoc praetermittam quod in provincia Cyrenensium conperi, in qua agri sunt regii, id est illi quos Ptolomaeus rex populo Romano reliquit: sunt plinthides, *id est* laterculi quadrati uti centuriae, per sena milia pedum limitibus inclusi, habentes singuli laterculi iugera numero ∞CCL. lapides vero inscri-
123 La pti nomine divi Vespasiani sub clausula tali, OCCVPATI A PRIVATIS FINES: P. R. RESTITVIT. praeterea pes eorum, qui Ptolomeicus appellatur, habet monetalem pedem et semunciam. ita iugeribus numero ∞CCL, quae eorum mensura inveniuntur, accedere debet pars XXIIII, et ad effectum iterum pars XXIIII, et prodeunt vero effecto monetali pede iugera

---

4. narbonensem *B*, narbonense *GLa* 6. hispania *G*, spaniam *B*, Spania *La* 6. ita si, ut dixi — inveniemus, [sicut] uidetur ita renuntiandum *La* 9. conprehensum *G*, compraehensum *BLa* 12. fuit] sui *coni. La* 14. cyrinensium *B* 15. ptolomeus *BLa*, phtolomeus *G* 16. id est *Turnebus*, om. libri 20. restituit *Turnebus*, praestituit *BG* 25. prodeunt vero effecto]

ↀCCCLVI ZZ. hunc igitur modum quattuor limitibus mensura S. S. inclusum vocamus medimna ↀCCL, quo apparet medimnon eorum mensura iugerum habere I, monetali autem mensura I — *.

3. Item dicitur in Germania in Tungris pes Drusianus qui habet monetalem pedem et sescunciam.

115. *Volusii Maeciani distributio.*

(Vide prol. § 115.)

VOLVSII MAECIANI

distributio item vocabula ac notae partium in rebus quae constant pondere numero mensura.

Saepenumero, Caesar, animadverti aegre ferentem te, quod assis distributionem et in heredum institutione et in aliis multis necessariam ignotam haberes. quare ne tam exigua res ingenium tuum ullo modo moraretur, cum partes ipsas tum vocabula et notas proponendas existimavi; et deprehendes distributionem quidem partium infinitam, oppido autem quam exigua vocabula et notas.

[1.] Prima divisio solidi, id est librae, quod as

---

p̄r uniuero effecto *B*, ṔR̄ uniuerso effectu *G*, erunt uniuerso effectu *coni. La* iug. *libri et La*

1. *corruptelas numeri* ↀCCCL *in BG vide apud La; excurrentia autem* VIZZ *in codicibus contracta sunt in* VIII 2. ↀCCL *add. Rudorffius Gromat. II p. 421* 4. mensuram IC̃C *B*, mensura Ī. CC. *G*, '*debet esse* unum, unciam, dimidium scripulum' *La; vide praef.*

10. assis distributio *Bö e coni.* quae constant] pecuniariis *CBö*, *corr. Mo* 12. Caesar *Mo*, cẹsor *C*, Censor *Bö* 15. quare *Mo*, quae *CBö*

vocatur, in duas partes dimidias diducitur; pars dimidia semis vocatur; nota eius S. [2.] sequens divisio fit in tres tertias partes; pars tertia triens vocatur; nota eius = =. [3.] sequitur divisio in quattuor quartas partes; pars quarta quadrans vocatur; nota eius = –. [4.] deinceps fit divisio in sex sextas partes; sextae partis nomen est sextans, cuius nota =. [5.] deinde dividitur in octo octavas, quae sescunciae vocantur, quarum est nota Σ—. [6.] item in novem nonas; nona pars vocatur uncia duae sextulae; nota —\\. [7.] dividitur item as in duodecim partes duodecimas; vocantur singulae unciae, cuius nota —.

[8.] Haec velut elementa primae de asse distributionis aequalitatem servant. si quid quibusdam earum detrahas vel conferas, fient dispares. [9.] quare si quadranti sextantem, vel trienti unciam applices, facies quincuncem, qui constat ex quinque unciis, hoc est quinque duodecimis; nota quincuncis = = –. [10.] si semissi applices unciam, vel quincunci sextantem, vel trienti quadrantem, efficies septuncem, hoc est septem duodecimas; nota septuncis S–. [11.] si septunci applicueris unciam, vel semissi sextantem, vel quincunci quadrantem, vel trienti tantundem, facies bessem, id est duodecimas octo; nota bessis S=. [12.] si bessi applicueris unciam, vel septunci sextantem, vel semissi quadrantem, vel quincunci trientem, dodrantem efficies, hoc est novem duodecimas; nota dodrantis S = –. [13.] si dodranti applicueris unciam, vel bessi sextantem, vel septunci quadrantem, vel semissi trientem, vel quincunci tantundem, facies dextantem, hoc est decem partes duodecimas; nota dextantis S = =. [14.] si dextanti applicueris unciam,

vel dodranti sextantem, vel bessi quadrantem, vel septunci trientem, vel semissi quincuncem, facies deuncem, id est undecim duodecimas; nota deuncis S = = –.

[15.] Ex his apparet in quas partes aequaliter, in quas dispares as dividatur. quo tamen facilius et memoria res teneatur, summa divisionis haec est. in asse sunt unciae XII, hoc est partes duodecimae duodecim, unciae et binae sextulae novem, hoc est novem nonae; sescunciae octo, id est octo octavae; sextantes sex, id est sex partes sextae; quadrantes quattuor, id est quattuor partes quartae; trientes tres, id est tres partes tertiae; semisses duo, id est duae partes dimidiae. ceterae partes inaequalem faciunt divisionem. [16.] in deunce sunt unciae undecim, sextantes quinque et uncia, quadrantes tres et sextans, trientes duo et quadrans, quincunces duo et uncia, semis et quincunx, septunx et triens, bes et quadrans, dodrans et sextans, dextans et uncia; deest assi uncia. [17.] in dextante sunt unciae decem, sextantes quinque, quadrantes tres et uncia, trientes duo et sextans, quincunces duo, semis et triens, septunx et quadrans, bes et sextans, dodrans et uncia; deest assi sextans. [18.] in dodrante sunt unciae novem, sextantes quattuor et uncia, quadrantes tres, trientes duo et uncia, quincunx et triens, semis et quadrans, septunx et sextans, bes et uncia; deest assi quadrans. [19.] in besse sunt unciae octo, sextantes quattuor, quadrantes duo et sextans, trientes duo, quincunx et quadrans, semis et sextans, septunx et uncia; deest assi triens. [20.] in septunce sunt unciae septem, sextantes tres et uncia, quadran-

tes duo et uncia, triens et quadrans, quincunx et sextans, semis et uncia; deest assi quincunx. [21.] in semisse sunt unciae sex, sextantes tres, quadrantes duo, triens et sextans, quincunx et uncia; deest assi alter semis. [22.] in quincunce sunt unciae quinque, sextantes duo et uncia, quadrans et sextans, triens et uncia; deest assi septunx. [23.] in triente sunt unciae quattuor, sextantes duo, quadrans et uncia; deest assi bes. [24.] in quadrante sunt unciae tres, sextans et uncia; deest assi dodrans. [25.] in sextante sunt unciae duae; deest assi dextans.

[26.] Huc usque divisio maiorum [τῆϲ μονάδοϲ], ut ita dictum sit, partium et celebris et nota est. sed cum rei natura infinitam partiendi praestet facultatem, succedit unciae quoque, quae est assis, ut supra dictum est, pars duodecima, divisio, non tam celebris quidem, sed tamen non adeo ignota. [27.] ut assis, ita unciae prima divisio fit in duas partes dimidias, quae vocantur semunciae; nota semunciae Σ. [28.] item dividitur uncia in tres partes, quae vocantur binae sextulae; nota binarum sextularum ƛ. [29.] item dividitur uncia in quattuor sicilicos, id est quattuor quartas; nota sicilici Ɔ. [30.] item in sextulas sex, id est sex sextas; nota sextulae \. [31.] item in duodecimas duodecim, quas singulas partes dimidias sextulas vocamus; nota dimidiae sextulae ⊹. [32.] item in scriptula viginti quattuor; scriptuli nota ℈. [33.] est autem assis semuncia pars vicesima

12. τῆϲ μονάδοϲ *Mo;* in *C*ᵖ *satis magnam rasuram et vestigia Graecae vocis vidit Bursianus; lacunam non indicant C*ᵛ*Bö*

quarta, duae sextulae pars tricesima sexta, sicilicus quadragesima octava, sextula septuagesima secunda, dimidia sextula centesima quadragesima quarta, scriptulum ducentesima octogesima octava. [34.] semuncia habet sicilicos duos, sextulas tres, dimidias sextulas sex, scriptula duodecim. [35.] duae sextulae habent sicilicum et dimidiam sextulam, sextulas duas, dimidias sextulas IIII, scriptula VIII. [36.] sicilicus habet sextulam et dimidiam, dimidias sextulas tres, scriptula sex. [37.] sextula habet dimidias sextulas duas, scriptula quattuor. [38.] dimidia sextula habet scriptula duo.

[39.] Has quoque partes in quantum libet dividere possis; verum infra eas neque notas neque propria vocabula invenies praeter ea. dimidium scriptulum audio quosdam ratiocinatores simplium vocare, quod erit totius assis quingentesima septuagesima sexta, quam et ipsam partem infinito separare possis. [40.] nec mirum, si infra has partes partitio facta et nominibus et notis caret, cum etiam inter superiores primasque divisiones pleraeque partes et nominibus et notis careant: statim namque undecim undecimae assem efficiunt, nec aut nomen proprium aut notam habent; perinde decem decimae. nam nona assis facit unciam duas sextulas; octava, ut supra redditum est, sescuncia vocatur; septem septimae, quae et ipsae assem implent, nec nomen proprium nec notam habent; sextae sextantes vocantur;

---

1. et *ante* quarta *add. C; numeros olim scriptos fuisse demonstrat Mo coll. vs. 3, ubi libri* tricesima *habent pro* quadragesima 24. nam] iam *coni. Mo*

ne quintae quidem aut nomen proprium aut notam habent; iam vero tertias trientes, quartas quadrantes, sicut duodecimas uncias vocari ostensum est. [41.] infra has ceterae usque sextam decimam nomine proprio notaque carent; sed sexta decima semuncia sicilicus dicetur, nam sedecim semunciae octo sunt unciae, sedecim sicilici quattuor unciae fiunt, iunctae unciis octo assem implent: septima decima deinde interiecta nomine notaque caret: octava decima vocabitur semuncia sextula, nam hae decies octies ductae assem efficiunt: [42.] post has inferiores partes, excepta semuncia, duabus sextulis, sicilico, sextula, dimidia sextula, scriptulo, neque vocabula propria neque notas habent. [43.] centesima, quae commodi aut usurarum nomine ad sortem applicaretur, *solebat olim* sicilico, id est C averso, eo notari quod cum C centum significaret, convertebatur ad eam summam, cuius centesima futura erat, et sive una convenerat, unus sicilicus, sive plures, tot sicilici ponebantur.

[44.] Sicut autem assis appellatio ad rerum solidarum hereditatisque totius, divisio autem eius ad partium demonstrationem pertinet, ita etiam ad pecuniam numeratam refertur, quae olim in aere erat, postea et in argento feriri coepit ita, ut omnis nummus argenteus ex numero aeris potestatem haberet. [45.] eo in numero sunt hi argentei nummi: denarius, cuius est nota X, quinarius, cuius est nota V, sestertius, cuius nota est HS. victoriatus enim nunc tantundem valet quantum quinarius; olim ut peregrinus

16. solebat olim *add. Mo* 23. etiam] et *C*v*Bö*
30. ut] at *C*, ac *Bö*

nummus loco mercis, ut nunc tetrachmum et drachma, habebatur. [46.] denarius primo asses decem valebat, unde et nomen traxit; quinarius dimidium eius, id est quinque asses, unde et ipse vocatur; sestertius duos asses et semissem, quasi semis tertius, Graeca figura ἕβδομον ἡμιτάλαντον, nam sex talenta et semitalentum eo verbo significant; lex etiam duodecim tabularum argumento est, in qua duo pedes et semis sestertius pes vocatur. [47.] nunc denarius XVI, victoriatus et quinarius VIII, sestertius quattuor asses valet.

[48.] Infra quam divisionem sequitur alia quaedam subdivisio, notas aeque et propria vocabula habens. quare si ad denarium rationem conficias, assem hac nota scribas ac voces: semuncia sicilicus ✱Σ Ɔ; semunciae enim sedecim et sicilici sedecim assem efficiunt. [49.] dupundium hac nota scribas ac voces: sescuncia ✱ Σ –; nam sedecim sescunciae dupundium efficiunt. [50.] tressis hac nota scribas ac voces: sextans sicilicus ✱ = Ɔ; aeque enim sedecim sextantes totidemque sicilici tres asses efficiunt. [51.] quattrussis hac nota scribas vocesque: quadrans ✱ = –; sedecim enim quadrantes quattrussis efficiunt. [52.] quinques hac nota scribas vocesque: quadrans semuncia sicilicus ✱ = – Σ Ɔ; nam sedecim quadrantes ac totidem semunciae sicilicique faciunt quinques. [53.] sexis hac nota scribas nominesque: triens semuncia ✱ = = Σ; aeque enim trientes et semunciae sedecies ducti sexis efficiunt. [54.] septus hac nota

1. tetradrachmum *Bö* et *Mo*; *sed hic nunc praefert* tetrachmum *cum C*

scribas ac nomines: quincunx sicilicus ✱ = = – Ↄ; simili enim modo quincunces ac sicilici multiplicati septus efficiunt. [55.] octus hac nota scribas ac nomines: semis ✱ S, quibus eodem modo multiplicatis octus reperies. [56.] nonus hac nota scribas appellesque: semis semuncia sicilicus ✱ S Σ Ↄ, ut similiter hac quoque nota, quae vocatur semis semuncia sicilicus, multiplicata nonus invenias. [57.] decus hac nota scribas atque nomines: septunx semuncia ✱ S – Σ; septuncem quoque ac semunciam totiens si duxeris, decus efficies. [58.] undeciaere hac nota scribas appellesque: bes sicilicus ✱ S = Ↄ; nam bes sicilicus totiens ducti undeciaere efficiunt. [59.] duodeciaere hac nota scribas ac voces: dodrans ✱ S = –; dodrantes eodem modo computati duodeciaere efficiunt. [60.] tredeciaere hac nota scribas vocesque: dodrans semuncia sicilicus ✱ S = – Σ Ↄ; dodrantibus semunciis sicilicis eadem ratione multiplicatis tredecim asses efficias. [61.] quattuordeciaere hac nota scribas ac voces: dextans semuncia ✱ S = = Σ; dextantes semunciaeque sedecim aeque quattuordeciaere efficiunt. [62.] quindeciaere hac nota scribas et appelles: deunx sicilicus ✱ S = = – Ↄ; deunx quoque ac sicilicus sedecies ducti quindeciaere efficiunt.

[63.] Ingeniosissime autem, cum ad denarium ratio conficeretur, excurrentis aeris nota inventa est, quae sedecies multiplicata id efficeret: nam cum denarii nota praescribatur, eique subiniungatur aeris excurrentis nota, manifestum est eam sedeciens ducendam ex adnotatione denarii.

---

4. ✱ S *om. C in lacuna* 28. subiungatur *Bö*

[64.] Ad quinarium et victoriatum rationem Romae confici nescio: quemadmodum tamen, si velis, conficias, facilius apparebit, si prius inspexeris ad quem modum sestertiaria ratio confiat; tunc enim excurrentis aeris leges exemplum denariariae rationis, et dimidiam duces; vel sestertiariae, et duplicabis.

[65.] Ad sestertium ratio si confiat, semis hac nota scribitur —T; vocatur libella teruncius. est autem libella sestertii decima pars, teruncius quadragesima, quae duae partes iunctae octavam sestertii, id est semissem, efficiunt; nam octo libellis, id est octo decimis, teruncii octo, id est 'octo quadragesimae (quae fiunt quattuor vicesimae, hoc est duae decimae) adiectae complent sestertium. [66.] sunt enim in sestertio libellae decem, singulae viginti, teruncii quadraginta. [67.] infra semissem nemo temere rationem sestertiariam ducit. potest tamen: nam quadrans, qui est pars sexta decima sestertii, poterit notari singula, quae est vicesima sestertii, et dimidio teruncio, qui est octogesima sestertii; nam utraque haec pars iuncta efficit sextam decimam. [68.] as notari debet ⚌Σ. haec ad sestertium nota vocatur duae libellae singula; fiunt duae decimae et vicesima, hoc est quarta pars sestertii; nam quater binae libellae octo fiunt decimae; quattuor singulae quattuor fiunt vicesimae, hoc est duae decimae, quae superioribus iunctae sestertium complent. [69.] as semis notari debet ⚌—ΣT, vocatur tres libellae singula teruncius, et sunt tres decimae, una vicesima, una quadragesima, hoc est quarta et octava sestertii; supersunt octavae quinque, id est semisses quinque, ut compleant sestertium. [70.] dupundius hac nota S;

vocantur quinque libellae, quae sunt quinque decimae; hae duplicatae sestertium implent. [71.] dupundius semis hac nota S — T; vocatur sex libellae teruncius; sunt autem sex decimae et quadragesima, id est dimidia et octava totius; supersunt octavae tres, id est semisses tres, ut sestertium compleant. [72.] tressis hac nota S = Σ; vocatur septem libellae singula; sunt autem pars dimidia et duae decimae et vicesima, hoc est pars dimidia et quarta; desunt duae octavae, id est quarta, quae iuncta impleat sestertium. [73.] tressis semis hac nota S = — Σ T; vocatur octo libellae singula teruncius; sunt pars dimidia et tres decimae et vicesima et quadragesima, hoc est pars dimidia et quarta et octava; superest octava, quae adiecta sestertium conpleat.

[74.] Libella dicta creditur quasi pusilla libra: nam cum olim asses libriles essent, et denarius decem asses valeret, et decima pars denarii libram, quae eadem as erat, singula selibram, quae eadem semis erat, teruncius quadrantem haberet; sive denariaria sive sestertiaria ratio conficeretur, iisdem notis, id est libellarum et singularum et terunciorum, praeposita nota denarii vel sestertii, ut erat ratio, aera exprimebantur. [75.] posteaquam in sedecim asses denarius distributus est, denariaria ratio expeditius confici coepit, ut supra dictum est; sestertiaria mansit sub iisdem notis, aucta tamen computatione. [76.] haec quoque libella exemplo maiorum in duos velut semisses, qui singulae vocantur, et quattuor velut quadrantes, qui teruncii vocantur, dividitur.

[77.] Ponderis eadem divisio est quae aeris. nam in quas partes as dividitur, in has et libra dispen-

ditur. [78.] *dicitur* ita as quidem, seu de divisione solidi, seu de pondere, seu de numerata in aere pecunia agatur; libra autem in pondere. nummi vero argentei in pecunia forma publica dumtaxat nomen accipiunt.

[79.] Mensurarum liquoris atque grani expeditior et forma et appellatio est: nam quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios quadraginta octo, heminas nonaginta sex, quartarios centum nonaginta duo, cyathos quingentos septuaginta sex. [80.] notae mensurarum:

quadrantalis	q^{I}
urnae	q^{s}
modii	$\overset{o}{\text{M}}{}^{I}$
semodii	$\overset{o}{\text{M}}{}^{s}$
congii	Ƶ
sextarii ad vinum	ɔ
ad granum	Σɔ
heminae	G
quartarii	tM
cyathi	TI

[81.] Partium et numeri naturalis causa durat, quamvis nominibus apud quasque gentes differant. ponderis et mensurarum modus incertus est; nam eius dispensio ac dimensio . . . .

---

1. dicitur *add. Mo* 11. cyatos *C* 23. Partium *etc. om. Bö* 24. apud C^v *ab Helbigio collatus (vide praef.)*, aput C^p*Mo* differant *Mo*, referat *C* 25. nam eius] numerus C^v *ab Helbigio collatus*

116. *Liber de asse.*

(Vide prol. § 114.)

[Balbus ad Celsum de asse minutisque eius portiunculis.]

[1.] Quicquid unum est et quod ex integrorum divisione remanet, assem ratiocinatores vocant. quotquot ergo de integra divisione singulares res unitatesve remanebunt, totidem asses erunt: si unitas una remanebit, unus erit assis asve; si duae, duo; si plures, plures erunt asses. sed quia pauciores inter aequales aequaliter dividi non possunt, nisi in minutias, quemadmodum dictum est, secentur, oportet eum qui docet ostendere quibus rationibus ab integris deriventur minutiae. [2.] assis quidem asve in duas partes sectus sex principales generat divisiones, †quibuslibet binis partibus toti suo aequatus et eiusdem sui totus constitutus†. aut enim assis altera pars est deunx, altera uncia; aut altera dextans, altera sextans; aut altera dodrans, altera quadrans; aut altera bessis (sic enim potius dicendum est, quam aut bes aut des, quoniam binas ex tribus assis partes sibi vindicat), altera triens; aut altera septunx, altera quincunx; aut utraeque partes erunt semis. [3.] harum omnium partium nullae parem quantitatem habent praeter duas ultimas, quemadmodum patuit; principales ideo dicuntur hae partes, quoniam una-

---

10. pauciora *coni. Gr* 16. aequatas et eiusdem sui totius constitutrices, *nempe* divisiones, *coni. Gr*, aequatis ex iisdem sui totus constituitur *Bö* 20. quam] quem *Ro* 22. uendicat *Ro* altera triens *Ro habet ante* sic enim potius; *transposuit Bö*

quaeque illarum et in alias partes dividitur quae secundariae sunt ad totum; omnis enim pars partis totius pars est. [4.] quod diximus explanandum est: cuiuslibet integrae rei in duodecim partes divisae semper duodecima pars uncia dicitur, restat vero deunx; et hae sunt partes primae divisionis. [5.] haec de assis partibus tractamus nisi eo modo quo simpliciter sunt partes ut integri totius, species enim illius innumerabiles sunt; nam quotquot sunt integrae unitates, totidem necesse est intelligi assis esse species. [6.] earum unitatum quaelibet divisa in aequales partes sex sextam habebit sextantem, reliquas dextantem; ergo sic potest dividi: pars una assis dextans, altera sextans. [7.] item cuiuslibet rei integrae in quatuor partes aequales divisae quarta pars quadrans vocabitur, reliquae dodrans. [8.] item cuiuslibet rei in tres partes divisae duae illarum bessis nominabitur, reliquae triens. [9.] rursus cuiusvis rei divisae in tales duas partes, quarum altera alteram septima sui totius parte superat, septunx nuncupabitur, superata quincunx. [10.] sexto modo res aliqua integra in duas aequales minutias separatur, quae utraeque semis dicuntur. [11.] septima divisio his adiungi potest; nam rei integrae in octo partes distributae pars quaelibet ex illis sine aliis considerata sescuncia dici potest, reliquae semuncideunx.

[12.] Licet assis plures sint divisiones, tamen his septem numerarii ratiocinatores magis utuntur, et

---

5. restat *Bö*, sexta *Ro*, caeterae *coni. Gr* 7. non nisi *coni. Gr*, nisi *participium esse videri adnotat Bö* 12. sex *add. Gr.* 25. illis *coni. Gr*, iis *Bö*, aliis *Ro*

pars illa quae est semuncideunx, in frequenti usu non est, unde characterem non habet quo designetur. [13.] as ergo habet unum deuncem, unum dextantem, unum dodrantem, unum bessem, unum septuncem, duos semisses, duos quincunces, tres trientes, quatuor quadrantes, sex sextantes, octo sescuncias, duodecim uncias. [14.] et uncia ablata de asse remanet deunx, sublata uncia de deunce remanet dextans, sublata uncia de dextante remanet dodrans, sublata uncia de dodrante remanet bessis, sublata uncia de besse remanet septunx, sublata uncia de septunce remanet semis, sublata uncia de semisse remanet quincunx, sublata uncia de quincunce remanet triens, sublata uncia de triente remanet quadrans, sublata uncia de quadrante remanet sextans, sublata uncia de sextante remanet uncia, sublata semuncia de sextante remanet sescuncia, hoc est uncia et dimidia, sublata semuncia de sescuncia remanet uncia.

[15.] Et uncia quidem sic dividitur: unciae pars alia semuncia, alia duella, alia siciliquus, alia sextula, alia drachma, alia hemisescla, alia tremissis, alia scripulus scrupulusve. semuncia quidem est medietas unciae, duella tertia pars, siciliquus quarta, sextula sexta, drachma octava, hemisescla duodecima, tremissis sextadecima, scrupulus quarta et vigesima. [16.] quare tremissis continet scrupulum et dimidium, hemisescla duos scrupulos, drachma tres, sextula quatuor, siciliquus sex, duella octo, semuncia duodecim, uncia quatuor et viginti, sescuncia sex et triginta, sextans octo et quadraginta, quadrans duos

---

6. quatuorque *Ro* 9. dodrāx *Ro*

et septuaginta, triens sex et nonaginta, quincunx centum et viginti, semis centum et quatuor et quadraginta, septunx centum et octo et sexaginta, bessis centum et duos et nonaginta, dodrans ducentos et sedecim, dextans ducentos et quadraginta, deunx ducentos et quatuor et sexaginta, as ducentos et octo et octoginta.

117. *Loci e Festi libris de verborum significatione atque ex epitome Pauli* *).

[17] Actus modo significant — iter inter vicinos quattuor pedum latum, modo in geometrica minorem partem iugeri, id est centum viginti pedum.

[24] Aestimata poena ab antiquis ab aere dicta est, qui eam aestimaverunt aere, ovem decussis, bovem centussis, hoc est decem vel centum assibus.

[33] Bessem appellatum esse, quod bis triens sit, quamvis dura compositio fiat. [besis ex triente. besis VIIII sunt unciae. triens tres.]

[54] Centenariae cenae dicebantur in quas lege Licinia non plus centussibus praeter terra nata inpendebantur, id est centum assibus, qui erant breves nummi ex aere.

---

41. De mari, de hydria, de cypro, de choenice. maris idem quod cypros mensura est apud Ponticae provinciae homines, quae continet hydrias duas. hydria vero apud eos est sextariorum decem, ita ut sit maris idemque cyprus XX sextariorum Alexandrinorum. cyprus apud eosdem Ponticos est seminum mensura siccorum, capax hydriarum duarum, idem continens minora modia duo, quae apud eos choenicum quinorum esse dicuntur. choenix vero apud eos duo sextaria continet, ita ut sit cyprus sextariorum XX. nam modius eorum maior sextariorum XX et IIII capax est.

42. De collatho. collathus est apud Syros medium sati in liquidis, quod est sextariorum XXIIII.

43. De congiario. congiarium mensura est liquidorum, cuius et res simul et nomen a Romanis positum constat. hanc vero mensuram in descriptione historiarum circa singula tempora tam Eusebii quam aliorum qui similis exstiterunt materiae conscriptores poteris invenire.

123. *Ex Isidori etymologiarum libro XV caput XV.*

XV. DE MENSURIS AGRORUM.

1. Mensura est quidquid pondere capacitate longitudine altitudine latitudine animoque finitur. maiores itaque orbem in partibus, partes in provinciis, provincias in regionibus, regiones in locis, loca in ter-

3. que *A* 6. ponticus *A* 8. que *A* 9. quinque *LeM* coenix *A* 13. collatus *ALeM*
23. quicquid *BCv* 26. regiones] Regionibs *A*

ritoriis, territoria in agris, agros in centoriis, centoria in iugeribus, iugera in climatibus, climata in actus, actus in perticas, perticas in passus, passus in gradus, gradus in cubitos, cubitos in pedes, pedes in palmos, palmos in uncias et digitos diviserunt. tanta enim fuit illorum sollertia.

2. Digitus est pars minima agrestium mensurarum.

3. Inde uncia habens digitos III.

4. Palmus autem quattuor digitos habet, pes sedecim.

5. Passus pedes quinque.

6. Pertica passus duo id est dece*m pedes*. pertica autem a portando dictum quasi portica. omnes enim praecedentes mensurae in corpore sunt, ut palmus pes passus et reliqua: sola pertica portatur. est enim decem pedum ad instar calami in Ezechielo templum mensurantis.

7. Actus minimus est pedum IIII latitudine, longitudine CXL.

---

1. centoriis centorias *B*, centuriis centurias *Cv* 3. acetus Acetus in perticas *A* 3—5. actus in perticas *etc.*] perticas passus (passos B^1) gradus (grados B^1, *om. C*) cubitos (cubitus B^2C^2) pedes palmos (palmas B^1) uncias et digitos *BCv* 4. gratus in cub. *A* 5. diueserunt *A*, diuiderunt *C* 6. eorum *BC* 7. menima *A* agrestiam B^1 8. habet B^2C^2 digitus B^1, *ut videtur* 9. quatuor *Cv*, *itemque infra* pes] pedes B^1 sedecem *A* 12. duos *BCv* dece*m pedes*] dece *A*, pedes decem *BCv* 13. dicta *BCv* 15. pas *C* portatur pertica *C* 16. decem peduum *A*, decim pedum *C*, pedum decem *B*(?)*v* ad *om. B* Ezechiele B^2v 17. templo *B* 18. menimus *A* peduum *A*

8. Climata quoque [undique] versum pedes habent LX, ita LX [LX / LX] LX.

9. Actus quadratus undique finitur pedibus CXX, ita CXX [CXX / CXX] CXX. hunc Baetici arapennem dicunt, ab arando scilicet.

10. Actus duplicatus iugerum facit. ab eo quod est iunctum iugeri nomen accepit.

11. Iugerum autem constat longitudine pedum CCXL, latitudine CXX, ita CXX [CCXL] iugerum CXX.

12. Actum provinciae Baeticae rustici †agnos vocant.

13. Porcam idem Baetici XXX pedum latitudine

---

1. climmata *C* habet *C* 2. LX (*ante* ita)] sexaginta *BCv* 3. fiitur *A*, *sed latere videtur sub* t *vestigium litterae* n centum viginti *BCv* 4. betici *A*, pedici *B*[1] arapenne *A* 9. ducentorum quadraginta latitudine centum viginti *BCv* *figuram sic exhibet A:* CCXL [CXX] ingerum CCXL, *eandem C:* CXX [CCXL] scotrū [CCXL] CXX: *idem in marg.:* CXX · CXL [CCL] sgoirū [CCL] CXL; *magis etiam corrupta scriptura in B* 10. beticae *et* 12. betici *A* agnus *C*[1], agnum *BC*[2], agnuam *Columella* 12. parcam (o *supra* a) *B* baetici triginta *BCv*

LXXX

et longitudine LXXX dicunt: XXX ☐ XXX. sed porca quod in arando extat: quod defossum est lira.

14. Canditum appellant Galli in areis urbanis spatium centum pedum, quasi centetum. in agrestibus autem pedes CL quadratum iustum canditum vocant.

15. Centuria autem ager est ducentorum iugerum, quae aput antiquos a centum iugeribus vocabatur, sed postea duplicata est nomenque pristinum retinuit. in numero enim centuriae multiplicatae, sed nomen mutare non potuerunt.

124. *Ex eiusdem libri capite XVI.*

XVI. DE ITINERIBUS.

1. Mensuras viarum nos miliaria dicimus, Graeci

---

1. et LXXX longitudine definiunt *BC* *in figura pro* XXX *A utroque loco habet* XU, unde XV *C*; sed recte XXX *B* 2. porca] porca est BC^{2}, pota est C^{1} quod $AB^{1}C^{1}$, quae $B^{2}C^{2}$ lira C^{1}, lyra *A*, liram B^{1}, libram $B^{2}C^{2}$ 3. Canditum appellant Galli] quo alli candidum appellant B^{1}, quo galli canditum appellant B^{2}, quod alli gaudetum appellant *C* 4. spatii *A* et *ante* quasi *add.* *B* 5. quatratum *A* pedes C C pedum ///////////// et L quadratorum iustum cand$\overset{\text{e}}{\text{i}}$tum *B*, pedes CL quadratorum iustum candetum *C* 6. *post* vocant *BC addunt:* porro stadialis (statialis *B*) ager habet passus CXXV, id est pedes DCXXV, cuius mensura octies conputata (conpotata B^{1}) miliarium facit qui constat quinque milia pedibus (?) 7. centurio *ABC* ager est] ager ẹṣ *B*, est ager *Cv* duocentorum *A* 8. qui *ABC* apud *BCv* a centum] centum BC^{2}, C a C^{1} nocabantur *A* 9. *post* est *add.* mensura *BC* retenuit *AB* 10. sed] sunt *BCv* 14. miliario B^{1} greci *A*

stadia, Galli leuvas, Aegyptii †signes, Persae parasangas. sunt autem proprio quaeque spatio.

2. Miliarium mille passibus terminatur. et dictum miliarium quasi mille †adium, habens pedes V milia.

3. Leuva finitur passibus $\overline{\mathrm{I}}$ D.

4. Stadium octava pars miliari est, constans passibus CXXV. hoc primum Herculem statuisse dicunt eumque eo spatio determinasse quod ipse sub uno spiritu confecisset, ac proinde stadium appellasse, quod in fine respirasset simulque et stetisset.

125. *Ex Isidori libro XVI caput de ponderibus (XXV).*

XXIIII. DE PONDERIBUS.

1. Ponderum ac mensurarum lubet cognoscere modum. nam omnia corporalia, sicut scriptum est, a summis usque ad ima in mensura et numero ex pondere disposita sunt atque formata. cunctis enim corporeis rebus pondus natura dedit; suum quoque regit omnia pondus.

2. [Prius legitur Moyses invenisse.] Primus Phi-

---

1. leugas B^1 aegypti *ABC* signes] *lege* schoenos parusangas B^1 2. queque *A*, qu//que *B*, *cum superscr.* o *a m. sec.* 4. mille//aeum *B* quinque *BCv* 5. mille quingentis *BCv* 6 . Sstadium *A* miliarii *BCv* 7. hoc *B*, hunc *ACv* hercōlem *B* 9. spū conficisse *A* appellasset *B* 13. XXV *BCv* 14. iubat B^1C, iuvat B^2v cognuscere *A* 15. omnia *add. sup. lin. C* 16. a summis usque] admissisque B^1 imum BC^2, imam C^1 mensuris, *sed litterae* ris *obductae et* ra *superscr.*, *A* ex] et *BCv* 17. adque B^1 20. Prius — invenisse] *v. praef. crit.* primon *et corr.* primū *C* fiton *A*, fidon *BC*

don Argivus ponderum rationem in Graecia constituit; et licet alii antiquiores extiterint, sed iste hac arte experientior fuit.

3. Pondus dictum eo quod in statera libratum pendeat. hinc et pensum. abusive autem pondus libra una est. unde etiam dipondius dictum est quasi duo pondera, quod nomen adhuc in usu retinetur.

4. Trutina est geminas ponderum lances aequali examine pendens, facta propter talenta et centenaria appendenda, sicut momentanea pro parva modicaque pecunia [haec et moneta vocata]. ea et statera nomen ex numero habens, quod duobus lanciis et uno in medio stilo librata aequaliter stet.

5. Campana a regione Italiae nomen accepit, ubi primum eius usus repertus est. haec duas lances non habet, sed virga est signata libris et unciis et vago pondere mensurata.

6. Examen *est* filum medium quo trutina et statera regitur et lances aequantur, unde et in lanciis amentum dicitur.

---

1. argibus *B* greciam *A*, gretiã *C* 2. ista *A* 4. statere *A*B^1 5. pendiat *C* pinsum *A* 6. dictus *B*C^1*v* 8. est *om. C* gemina *ABC* lancis B^1*C* aequale *A* 10. appenda *A*, adpendenda *C* momentana *BCv* 11. monita *A* 12. duabus *Bv* lancis *A*, lancibus *BCv* 13. filo *vulgo post* librata *A add.* in medio stet, *sed ea obducta* 14. § 5 *post* § 6 *poni iusserunt correctores in B et C numeros adscribentes, et sic vulgo legitur* italis *C* 15. primo *B* reppertus *A* 16. uncis *A* 18. est *om. A* quod *B* trutina et] trudine *A*, trutinae *BCv* 19. *inter* et *ac* lances *A add.* lances aequantur, *sed ea obducta* lanciis *A*B^1, lancis B^2*C*, lancibus *vulgo*

7. Unicuique autem ponderi certus est modus nominibus propriis designatus.

8. Calcus, minima pars ponderis, quarta pars oboli est constans lentis geminis granis. appellatur autem calcus, quod sit parvus, sicut et lapis calculus, qui adeo minimus est, ut sine molestia sui calcetur.

9. Siliqua vicensima *quarta* pars solidi est, ab arbore cuius .... nomen est vocabulum tenens.

10. Ceratim oboli pars media est habens siliquam unam semis. hunc latinitas semiobolum vocat, ceraten autem graece. [latine siliqua cornuum interpretatur.]

11. Obolus siliquis tribus appenditur, habens ceratim duos, calcus IIII. fiebat enim olim ex aere ad instar sagittae, unde et a Graecis nomen accepit ...., hoc est sagitta.

12. Scripulus sex siliquarum pondere constat. hic aput Graecos gramma vocatur. scripulus autem dicitur per diminutionem a lapillo brevi qui scrupus vocatur.

---

1. est] e B^1 4. lintis, *sed* e *super prius* i, *B* 5. paruulus *BC* calcolus *A*, *idem B*, *sed* u *superscr.* 6. qui adeo] *corrector in C superscripsit* quia ideo 8. Seliqua *A* uicesima *B* quarta *om. A* soledi *A* 9. *post* cuius *intercidisse videtur Graecum* κερατέα semen *BCv* uocabolum *A* 10. seliquam *A* 11. ceratin *C* 12. autem] *corrector in C superscripsit* vero seliqua *A* 15. calcos B^2v quatuor *BCv* 16. grecis *ABC* nomen a grecis accepit *BC* *post* accepit *intercidit Graecum* ὀβολόc 18. scripolus *B* sex] ex B^2C^1 seliquarum *A* 19. apud *BCv* grecos *A* scripolus *A* dictus *BCv* 20. scripus *C*

13. Dragma octava pars unciae est et denarii pondus argenti, tribus constans scripulis, id est decem et octo siliquis. denarium autem dictum, quia pro decem nummis imputatur.

14. Solidum nuncupatum, quia nihil illi deesse videtur. solidum enim veteres integrum dicebant et totum. ipse quoque nomisma vocatur pro eo quod nominibus principum effigieque signetur. ab initio vero unum nomisma unus argenteus erat; hoc enim ab Assyriis coepit. dicunt autem Iudaei, quod Abraham in terram Chanaan primus hanc advexerit formam. solidus aput Latinos alio nomine sextula dicitur, quod his sex uncia conpleatur, hunc, ut diximus, vulgus aureum solidum vocat, cuius tertiam partem ideo dixerunt tremissem eo quod solidum faciat ter missus.

15. Sextula bis adsummata duellam facit, ter posita staterem reddit.

16. Stater autem medietas unciae est, appendens aureos tres, unde et vocatur stater, quod tribus solidis stet. haec et semuncia, quia semis habet de

---

1. octaba *A* 2. est XVIII *BCv* 3. seliquis, *sed* i *super* e, *C* 4. inputatur *BC* 5. nuncupata C^1 quia] quod *C* illi *om. B* 7. nummisma *A*, n^{u}omisma *C* 8. principatum C^1 effigiesque *A*, effigiisque BC^2, effigisque C^1 signetur] uocatur *B* 9. nummisma *A* 10. asiriis *C* cepit *A* 11. terra *AB* chanan *A* 12. apud *BCv* 13. his *BC*, *sed in B* h *punctis notatum*, bis *A* unciis *A*, unci^{i}as *B*, uncias *C* compleatur *BCv* 14. uocant *BC* 15. tremisse B^1 17. adsumat B^1, adsumpta *C*, assumpta B^2v 19. statera *C* adpendens *C* 21. semuntia B^1, semiuncia B^2Cv quia] quod *C*

uncia. haec et semissis, quia ponderis semis est quasi semis assis.

17. Quadrantem Hebraei similiter codrantem vocant; et vocatur quadrans, quod unciae quartam partem appendeat.

18. Sicel, qui Latino sermone siclus corrupte appellatur, Hebraeum nomen est, habens aput eos unciae pondus. aput Latinos autem et Graecos quarta pars unciae est et stateris medietas, dragmas appendens duas. unde cum in litteris divinis legatur siclus, uncia est, cum vero in gentilium, quarta pars unciae est.

19. Uncia dicta, quod universitatem minorum ponderum sua unitate vinciat, id est conplectat. constat autem dragmis octo, id est scripulis XXIIII. quod proinde legitimum pondus habetur, quia numerus scripulorum eius horas diei noctisque metitur, vel quia libram efficit duodecies conputatus.

20. Libra XII unciis perficitur et inde habetur perfecti ponderis genus, quia tot constat unciis quot mensibus annus. dicta autem libra, quod sit libera et cuncta intra se pondera praedicta concludat.

---

1. semisses *C* 3. codrantem] quadratem *A*, quadrantem *BC*[2] 4. quadrã *B*[1]*C* 5. adpendat *B*[1]*C*, appendat *B*[2]*v* 6. corruptae *A*, correpte *C*[1] 7. hebreum *A*, //ebreum *B* apud *BCv*, *item vs. 8* 8. grecos *A* 9. adpendens *C* 10. legitur *BCv* sidus, *sed superscr.* siclus, *C* 11. in *om. B* unciae pars est *B* 13. uniuersitate *A* 14. unciat *A* 15. VIII *BCv* scripolos *A*, scrupulis (i superscr.) *C* 17. scripolorum *A* diaei *A* mititur *A*, meditur *B*[1] 18. efficet *A*, effecit (i superscr.) *B* duodecies] duodem est *B* 20. quot] quod *AB*

21. Mina in ponderibus centum dragmis appenditur et est nomen Graecum.

22. Talentum summum esse pondus perhibetur in Graecis; nam nihil est calco minus, nihil talento maius. cuius varium aput diversas gentes pondus habetur. aput Romanos autem talentum est septuaginta duarum librarum, sicut Plautus ostendit, qui ait duo talenta esse centum quadraginta *quattuor* libras. [est autem triplex, id est minor, medius, summus. minor quinquaginta, medius septuaginta duarum librarum, summus centum viginti constat.]

23. Centenarium numeri nomen est eo quod centum librarum ponderis sit. quod pondus propter perfectionem centenarii numeri instituerunt Romani.

126. *Ex eodem libro caput de mensuris (XXVI).*

XXV. DE MENSURIS.

1. Mensura est res aliqua modo suo vel tempore circumscripta. haec aut corporis est aut temporis. corporis, ut hominum lignorum et columnarum longitudo et brevitas. sed et solem istum propriam sui

---

1. m//na *B* 2. grecum *ABC* *post* Graecum *BC* *add.* quod sunt siliquae (siliqui *C*) IDCCC tremisses CCXXV solidi LXXV stateres XXV 3. peribetur in grecis *A* 4. calculo *C* 5. uarius *A* apud *BCv*, *item vs. proximo* 6. autem] enim *BCv* est] esse *A*, *om.* B^{1} LXXII *BCv* 8. centum quadragenta *A*, CXLIV *Bv*, CXLIII *C* 9. minus medium summum $B^{2}C^{2}$ *eademque in proximis* 10. quinquagenta *A* septuagenta duarum *A*, LXXII *BCv* 11. centum vigenti *A*, CXX *BCv* 16. XXVI *Cv* 18. inscripta C^{1} haec autem *A*

orbis habere mensuram, quod geometrici perscrutare audent. temporis, ut mensura horarum et dierum et annorum. unde et metiri pedes horarum dicimus, hoc est mensurare.

2. Proprie autem mensuram vocant, quo ea fruges metiuntur atque frumentum, id est humida et sicca, ut modios urnas et amphoras.

3. Mensurarum pars minima coclear, quod est dimidia pars dragmae, appendens siliquas novem. [qui triplicatus conculam facit.]

4. Concula dragma una et dimidia adimpletur.

5. Cyati pondus decem dragmis appenditur. [qui etiam a quibusdam causatus nominatur.]

6. †Oxifalus fit, si quinque dragmae addentur ad decem.

7. Acetabulum quarta pars eminae est, duodecim dragmas appendens.

8. Cotula emina est, habens cyatos sex. quae idcirco cotula vocatur, quia cotė Graeco sermone incisio dicitur, et emina sextari*us* in duo aequa

---

1. ge$\overset{o}{u}$metrici *B* perscrutari *Bv* 2. ut] et *AB*, *om. C* mensuras *B*, mensur$\overset{a}{i}$s *C* aut dierum *Cv* 3. metire *AC* 5. Propriue *A* mensurae *B* uocata *BC* quod *Cv*, quo in *B* 7. modi$\overset{o}{u}$s *B* ornas *A* anforas *BC* 8. menima *A* 9. dragme *A* seliquas AC^1 nove *A* 10. tr$\overset{i}{e}$plicatus *B* 11. adimplet *A* 12. ciati *BC* adpenditur B^1C 13. assatus BC^2, cuatus *vulgo* 14. obsifalus *B*, o$\overset{b}{x}$ifalus *C; lege* oxybaphum adduntur ad X *BCv* 16. Acitabulus AC^2, acitabulum BC^1v XII dragmas adpendens *BC* 18. cotyla B^2C^2v cyatus *A*, sciatos *B*, ciatos *C* 19. cotyla B^2C^2v quia] quod *C* greco *A*, in greco *B* 20. sextari *A*, sextarii *BCv*

inciditur. emina autem appendit libram unam, quae geminata sextarium facit.

9. Sextarius duarum librarum est. qui bis adsumptus nominatur bilibris; adsumptus quater fit Graeco nomine †cenix; quinquies conplicatus †quinarem sive gomor facit. adice sextum, congium reddit. nam congius sex metitur sextariis, a quo et sextarii nomen dederunt.

10. Congius autem a congiendo, id est per augmentum crescendo, vocatur. unde postea pecunia beneficii gratia dari coepta congiarium appellatum est. unusquisque enim sui temporis imperator favorem populi captans adiciebat, ut largior videretur ex donis.

11. Congiarium autem specialiter mensura est liquidorum, cuius et rem simul et nomen a Romanis impositum invenimus.

12. Metreta est mensura liquidorum. haec a mensura accepit nomen, μέτρον enim mensuram dicunt Graeci, et inde appellata metreta, licet et urna et amphora et reliqua huiusmodi nomina mensurarum

---

1. *post* inciditur *BC add.* et cot$\overset{i}{o}$lam (cot$\overset{y}{u}$lam *C*) facit adpendet *B*, adpendit *C* 3. Sextarium *AB* quiuis B^1 5. greco *A* cenix *bis habet C*; *lege* choenix qninarem] *immo* quinarium 7. coniugius B^1, cogium B^2 sextarius *et ab eadem manu corr.* sextariis *A* 9. Congium *ACv*, congi$\overset{\bar{u}}{o}$ *B* ad congiendo *B* 11. gratia] grã////// *B* cepta *A* 12. laborem *A*, faborem C^1 13. larguor C^1 in donis *BCv* 15. congiliarium *B* 17. inpositum *BC* 18. Metrum *ABC* 19. accip// *C* μέτρον] metro ABC^2 20. greci *A* et *post* licet *om. B* anfora *AB*, amfora *C*

sint, tamen ista hoc nomen a denarii numeri perfectione accepit.

[Metrum ad omnem mensuram pertinet; metrum enim graece, latine mensura dicitur. nam et cyatum mensura est et anfora mensura est et quidquid plus minus capit mensura est. sed ideo hoc nomen specialiter sibi adsumsit, quod sit mensura perfecti numeri, id est denarii.]

13. Modius dictus ab eo quod sit suo modo perfectus. est autem mensura librarum XLIIII, id est sextariorum XX duorum. cuius numeri causa inde tracta est eo quod in principio deus viginti duo opera fecerit. nam prima die septem opera fecit, id est materiam informem, angelos, lucem, caelos superiores, terram, aquam atque aerem. secunda die firmamentum solum. tertia die quattuor, maria, semina, sationes atque plantaria. quarta die tria, solem, lunam et stellas. quinta die tria, pisces et reptilia aquarum et volatilia. sexta die quattuor, bestias, pecora, reptilia terrae et hominem. et facta sunt omnia XXII genera in diebus sex. et XXII generationes sunt ab Adam usque ad Iacob, ex cuius se-

1. sunt C^1 nomeri *A* perfectionem *AC* 4. grece *A* mensura — cyatum] dr̃ mensura ////////// *C* ciatum B^2, citatus B^1, *om. C* 5. sed anfora *C* quicquid *BCv* 6. minusue *BCv* 7. adsumpsit *BC* 9. dr̃ *BC** ab *om. C* perfectus //////// est *C* 11. XXII *BCv* 12. ds̃ *A* XXII *BCv* 13. primo *C* VII *BCv* operas *A* 14. coelos *BCv* 15. diae *A* 16. quatuor *BCv* seminationes atque *C ex corr.* 17. planaria *A* 17.18. trea *A*, *idem B cum superscr.* i 18. stillas *A* 19. quatuor *BCv* 20. pecoͧdes *BC* 21. generatines *A* 22. sunt *om.* C^1 iacop *A*

mine nascitur omnis gens Israel. et XXII libri veteris testamenti usque ad Hester, et XXII sunt litterarum elementa, quibus constat divinae legis doctrina. his igitur exemplis modius viginti duorum sextariorum a Moyse secundum sacrae legis mensuram effectus est. et quamvis diversae gentes huic mensurae pondus vel adiciant ignorantes vel detrahant, aput Hebraeos constitutione divina tali ratione servatur. [modius enim a modo dictus. hinc et modica, id est moderata. modicis enim modus nomen inposuit. nam modica pro parvis abusive, non proprie dicimus.]

14. Satum genus est mensurae iuxta morem provinciae Palaestinae, unum et dimidium modium capiens. cuius nomen ex Hebraeo sermone tractum est; satum enim aput eos nominatur sumptio sive levatio eo quod qui metitur eandem mensuram sumat ac levet. est et aliud satum mensura sextariorum viginti duorum capax quasi modius.

15. Batus vocatur Hebraica lingua ab olearia mola, quae aput eos †valbata nominatur, capiens quinqua-

1. omnes gens isrl *A* libri veteris] litterarum *B* testamenti *om.* *C*[1] 2. litterarum sunt *BC* 4. expletis *C*[2] uigenti *A* XXII *BCv* 5. mensuram] //////ra *A*, mensu *superscr. alio atramento* 7. ignoranter *C* detrahunt (a *superscr.*) *B* apud *BCv* hebreos *A* 8. constitutionē *C* 9. 10. id est — modica *in marg. add.* *B*[2], *eadem* *B*[1] *habet post* mensura § *14 vs. 17*, *eadem in C utroque loco in contextu scripta* 9. moderatā *B*[1] 10. modicis] adicere *B*[1] 12. more *A* 13. palestinae *A* 14. hebreo *A* 15. apud *BCv* 16. elevatio *B* 17. leuit *B*[1] //st (e *superscr.*) // // *B* 18. uigenti *A* XXII *BCv* 20. *post* quae *B add.* bet *et superscr.* beta, *C in marg. add.* beta apud *BCv* uel bata *BC (conf. vol. I p. 273, 23)* quinquagenta *A*

ginta sextaria, quae mensura una molae vice proteritur.

16. Amphora vocatur, quod hinc et inde levetur. haec graece a figura sui [dicta] dicitur, quod eius ansae geminatae videantur aures imitari. recipit autem vini vel aquae pedem quadratum, frumenti vero modios Italicos tres.

17. Cadus Graeca amphora est, continens urnas III.

18. Urna mensura est quam quidam quartarium dicunt. proprie autem urna vas est, quod et condendis defunctorum cineribus adhiberi solet, de quo poeta

caelo tegitur qui non habet urnam.

19. Medimna mensura est quinque modiorum. medimna autem Latina lingua vocatur, id est dimidia, eo quod quinque modiis metiatur, qui est dimidius numerus perfecto denario.

20. Artaba mensura est aput Aegyptios sextariorum LXX duorum, conposita ex numero propter LXX et duas gentes vel linguas quae orbem impleverunt.

21. Gomor quindecim modiorum onus appendit.

---

1. qua *A* mola *A* vice *om.* *C*[1] 3. Anfora *ABC* uocata *BCv* 4. grece *A* dicta dicitur] dicitur *B*, dicta *Cv; legendum videtur* ὤϊατον dicitur 5. recẹ̇pit *B* autem] enim *C* 6. aque *A* 8. greca *A* anfora *ABC* anfora est graeca *B* continen *A* 9. Orna *A* 10. orna *A* quod] quae *A* et] pro *BCv* 13. coelo *BCv* ornam *A* 15. Medimpna *A* 16. dimitius *A* 17. a perfecto *B*[2]*Cv*, aperto *B*[1] 18. apud *BCv* egiptios *A* 19. LXXII *BCv* LXXII gentes *BCv* 20. inpleverunt *B* 21. XV *BCv* unus *AC*, uạnus *B* apendit *B*[1], adpendet *C*[1], appetit *C*[2]

22. Corus XXX modiorum mensura conpletur. hic ex Hebraico sermone descendit, qui vocatur cor a similitudine collis. corea enim hebraice colles appellantur. coacervati enim modii triginta instar collis videntur et onus cameli efficiunt.

127. *Ex eodem libro caput de notis ponderum et mensurarum (XXVII).*

XXVI. DE SIGNIS PONDERUM.

1. Ponderis signa plerisque ignota sunt et inde errorem legentibus faciunt. quapropter formas eorum et caracteres, ut a veteribus signata sunt, subiciamus.

2. Z littera significat dimidium obolum.

3. — virgula aequaliter iacens et porrecta simpliciter significat obolum.

4. = gemina virgula duo oboli sunt.

5. T Latinum significat obolos tres.

6. F Latinum significat obolos quattuor.

7. E Latinum demonstrat obolos quinque.

8. Oboli vero sex propterea caracterem non habent eo quod in una dragma sex veniant, quod est pondus denarii argenti.

---

1. Chorus *BC²* completur *BC* 2. discendit *A*, *idem BC*, *sed in his* e *superscr.* ´ cor *A* (*v. vol. I p.* 273, 7), cora *Bv*, $\overset{b}{\text{c}}$ora *C* 3. $\overset{h}{\text{c}}$oria *C* hebraicae *A* 4. trigenta *A*, XXX *BCv* 5. camelli *AB* 10. errare *A* famas *B* 11. ita ut *Cv* 13. litterra *A* otelum *B²* 14. 16. *notas — et = om. B¹C²* 16. geminata *BCv* uirg$\overset{u}{\text{o}}$la *B* 17. obolos III *BC* 18. quatuor *BCv* 20. characterem *BCv* 21. veniunt *C*, *idem B*, *sed corr. ead. m.*

9. H littera significat siliquas octo, id est tremissem.

10. N Latinum significat nomisma Graecum, id est solidum.

11. < virgulae duae ex uno angulo a laeva in dexteram se dividentes significant dragmam, quam etiam olcen appellant.

12. NΓ. N Latinum adiuncta gamma Graeca significat semunciam.

13. Ͱ. gamma autem Graeçae litterae o Latinum in fine adiunctum significat unciam.

14. $\underset{\imath}{\Lambda}$. †lauta Graecum per medium sui I Latinum adiectum *habens* significat libram.

15. K^U. cappa Graecum circa finem cornu adiuncta V Latina significat cyatum.

16. K^O. si vero o Latinum habuerit adiunctum, eminam demonstrat, quam Graeci cotilam vocant.

---

1. seliquas *AB*[1] VIII *BCv* 3. nummisma grecum *A* 4. *post* solidum *BCv add.* IB iota adiuncta beta significat dimidium solidum 5. leua *A* 6. dextram *Bv* deuidentes *A* 8. N *ante* Latinum *om. BC*[1] adiuncto *BCv* greca *A*, graeco *BCv* significat semunciam *in A distincte legi non possunt, cum scriptura fere evanuerit* 9. sem$\overset{i}{\text{ẹ}}$unciam *B* 10. gamme *B* grecę *A* latino *B*, latine *C*, *sed in utroque* ū *superscr.* 11. unciam] *semun*cia *A (cursivae litterae non perspicuae sunt)* 12. $\underset{\imath}{\Lambda}$] *librae nota in A sic fere* /|\ ; *ex BC nulla varietas ab eo signo quod Otto habet adnotata* lauta *AB*[2]*C*, *labda B*[1] grecum *A* 13. adiunctum *BC*[2] habens *om. ABC (conf. ad p. 123 vs. 3)* 14. KV *ABC* kappa *BCv* grecum *A* cornu *relicto post hoc vocabulum exiguo spatio A*, cornuum *BC* adiun·ta *A*, adiunctum *B*, adiuncto *Cv* 15. latinum *B*, latino *C* ciatum *BC* 16. Ko *A*, KO *BCv* latin$\overset{u}{\text{ọ}}$ *B* adiunct$\overset{ū}{\text{ọ}}$ *B* 17. heminam *BCv* greci *A*, grec$\overset{i}{\text{ẹ}}$ *C* cotilē *BC*

17. Ξ^ε. Ξ Graecum si acceperit iunctum ε Latinum, significat sextarium.

18. Ξ^o. si o Latinum adiunctum habuerit, indicat acetabulum, quod Graeci †oxifalon vocant.

19. M̊ (N superscr.). M Graecum superposita N Latina significat minam.

20. T^λ. T Latinum in fine habens †lautum Graecum significat talentum.

21. X^o. X Graecum in dextro brachio supero o littera iuncta †cenix est.

128. *Tabula de mensuris porrectis, quadratis, cubicis Balbi expositioni inculcata.*

(Vide prol. § 121, II.)

1. Mensurae aguntur generibus duodecim: digitis: digitus est in pede pars XVI. unciis: uncia est in pede pars XII. palmis: palmus IIII. sextantibus: sextans, quae eadem dodrans appellatur, habet uncias VIIII,

---

1. Ξέ *A (nisi quod* Ξ *uno calami ductu scriptum)*; *alii ductus esse videntur in BC* Ξ *alterum om. ABC* grecum *A* latinam *A* 2. sextarium significat *C* 3. Ξo *A (conf. ad vs. 1)*, ΞO *BCv* habuerit *om. BC* 4. acitabulum *A*, *idem BC, sed* e *superscr.* greci *A* oxifalo *B*[1] 5. M *alterum om. AC* grecum *A* superposito *C*, *idem B cum superscr.* ū latino *C*, *idem B cum superscr.* ū 6. minam] *in A nihil nisi* min *idque aegre legi potest*, mina *B*[1]*Cv*, mna *B*[2] 7. T^λ.T] Aλ. A *A*, ഩ *BC*, *in marg.* Λ *add. C* latinam in finem *A* lautam *B*[2]*C*, lapdam *B*[1] grecum *A* 9. X^o.X] λo *A*, Xo *C*, Xo alfa *B* grecum *A* superiori *BCv* 10. coniuncta *BCv* kenix *B*[2]*C*

digitos XII. pedibus: pes palmos IIII. cubitis: cubitus pedem semis. gradibus: gradus habet pedes IIS. passibus: passus habet pedes V. decempedis: decempeda pedes X. actibus: actus habet pedes CXX. stadiis: stadium habet pedes DCXXV. miliariis: miliarium habet p. $\overline{\mathrm{V}}$.

2. Pes prostratus sic observabitur: ducis longitudinem per latitudinem: facit embadon.

3. Pes quadratus sic observabitur: longitudinem per latitudinem metiemur, deinde per crassitudinem, et sic efficit pedes solidos.

4. Pes quadratus concavus capit amforam trimodiam.

5. In centuria agri iugera CC, modii DC. in circuitu ped. $\overline{\mathrm{VIIII}}$ DC habet. in ea pedum $\overline{\mathrm{II}}$CCCC per $\overline{\mathrm{II}}$CCCC, passus CCCCLXXX per CCCCLXXX, actus XX per XX, cubita ∞DC per ∞DC.

6. Pedes ut in cubitos redigamus, semper duco octies et sumo partem XII: erunt cubita. cubita vero ut in pedes redigamus, semper duco duodecies et sumo partem octavam: erunt pedes.

129. *Mensurarum tabula quae ex libro Balbi excerpta esse dicitur.*

(Vide prol. § 121, II.)

1. Centuria habet ped. $\overline{\mathrm{II}}$CCCC per $\overline{\mathrm{II}}$CCCC, passus CCCCLXXX per CCCCLXXX, actus XX per XX, cubita ∞DC per ∞DC, perticas CCXL per CCXL, agnas DC per DC, decempedas $\overline{\mathrm{LVII}}$ DC. fiunt in

25. per] ped *A* 27. cubita — 28. $\overline{\mathrm{LVII}}$ DC] *haec sic scripta in A (deletis iis quae uncis inclusa sunt):* cubita

centuria acti constrati CCCC, ped. $\overline{L}$DCCLX milia. efficit iugera CC.

2. Pes habet palmos IIII. cubitus habet pedem unum S. gradus habet ped. IIS. passus habet ped. V. ulna ped. IIII. decempeda habet ped. X digitorum XVI. pertica habet ped. XII digitorum XVIII. actus habet ped. CXX, perticas XII. stadius habet ped. DCXXV. miliarius habet passus ∞, ped. $\overline{V}$. porca habet ped. $\overline{VII}$ CC. agnua habet ped. $\overline{XIIII}$ CCCC. iugerus habet ped. $\overline{XXVIII}$ DCCC.

3. Mensurarum genera sunt tria, rectum, planum, solidum. rectum est cuius longitudinem tantummodo metitur. planum est . . . cuius longitudinem et latitudinem et crassitudinem metetur.

130. *Ex libro de iugeribus metiundis.*

Kastrensis iugerus quadratas habet perticas CCLXXXVIII, pedes autem quadratos $\overline{XXVIII}$ DCCC, id est per latus unum perticas XVIII, quae in quattuor latera faciunt perticas LXXII. habet itaque tabula una quadratas perticas LXXII. si ergo fuerit iuger tetragonus isopleurus, habens per latus unum perticas L, ita eum metiri oportet, ut sciamus quot iugera habeat intra se. duco unum latus per aliud:

---

nile [∞dC^{CCCC} per ∞dC^{CCCC}. perticas CCXL^{CC} per CCXL^{CC} agnas dC. per dC.] ped dLXX VII per dCCVII. in hoc pede digiti sunt XVIII non XVI. decempedas LVII dC per LVII dC

3. palmus *A* gubitus *A* 12. soledum *A* longitudonem *A* 13. *verba quae post* planum est *intercidebunt repete ex Balbo (fr. 113, 18)* 16. quadratus *libri La (v. prol. § 121 adn. 1)* 22. quod *La*

fiunt perticae $\overline{\text{II}}$ D, quae faciunt iugera VIII, tabulas II, perticas LII.

Itaque kastrensis iugerus capit K. modios III.

131.

DE MENSURATIONE IUGERI.

Iugerum unum pedes CCXL et in latitudine pedes C†. faciunt terram modiorum III.

132. *Tabula codicis Bobiensis.*

(Vide prol. § 122.)

1. Pondera Attica habent genera VIIII.

I. Talentum.
II. Mna.
III. Libra.
IV. Uncia.
V. Stater.
VI. Dragma.
VII. Scripulum.
VIII. Obulus.
VIIII. Siliqua.

2. Talentum habet mnas lx, libras lxxx *uncias* viii, uncias *d*ccccLxviii, stateres ∞dccccxxxv, dragmas $\overline{\text{vii}}$ dccxl, scripulos $\overline{\text{xxiii}}$ ccxx, obolos $\overline{\text{xlv}\textit{i}}$ ccccxl, siliquas $\overline{\text{xcii}}$ dccclxxx.

3. Mna habet libram I uncias IIII dragmam I, sta-

---

2. *huc pertinet apud La fig. 333* 7. *lege* CXX terra *libri La*, 20. lxxx viii uncias ccccLxviii *cod.* 22. $\overline{\text{VII}}$ CCCXL *cod.* $\overline{\text{XLVI}}$] $\overline{\text{XLV}}$ *cod.* 24. libr. *cōd.* stateres XXII et dragma dragmas habet CXCVIIII *cod.*

teres XXXII et dragma*m* *I*, dragmas habet CXXVIIII, scripulos ccclxxxvii.

4. Libra habet uncias XII, stateres XXIIII, dragmas XCVI.

5. Uncia habet stateres II, dragmas VIII.

6. Stater habet dragmas IV, scripulos XII, obolos XXIIII, siliquas XLVII*I*.

7. Dragma habet scripulos III, obulos VI, siliquas XII.

8. Scripulus habet obolos II, siliquas IIII.

9. Obulus habet siliquas II.

133. *Tabula codicis Bernensis.*

1. I As unc. XII.
2. SZZ′~ Labus unc. XI.
3. SZZ Dextas unc. X.
4. SZ′ Doras unc. VIIII.
5. SZ Beias unc. VIII.
6. S′ Septus unc. VII.
7. S Semis unc. VI.
8. ZZ′ Quincus unc. V.
9. ZZ Treas unc. IIII.
10. Z′ Quadras unc. III.
11. Z Sextas unc. II.
12. –Ɛ Sescuncia unc. I et semis.

---

3. dragmas XCVII *cod.* 7. siliquas XLVII *cod.* 13. unc̃ *cod. ubique* 14. *de notis assis partium vide praef.* 15. Destas *cod.* 21. *post* IIII *cod. add.* I ∾ et semis 22. *post* III *cod. add.* I ∾ et media 24. *de his et reliquis notis vide praef. ad* § 12. 15—20. 22. 23. 28. 29. 31—34 sescuncia *cod.* *post* unc. I *cod. add.* I ∾

13. ∾ Uncia tantum unc. Ɽ.
14. Ꝭ Semuncia media unc.
15. Ɔ^υ Siclosescli denr. X.
16. υυ Duo sescli dnr. VIII.
17. Ɔ Siclus dnr. VI.
18. υ Sescli dnr IIII.
19. ⅄ Dimidii sescli dn̄r. II.
20. ⅄ Scriptulus denr. I.

---

21. — Siliqua grana ordei III.
22. Э Scribolus siliquas VI.
23. < Dragma scribol. III.
24. T Argenteus scribol. C.
25. Ꝭ Semuncia dragmas IIII.
26. ∾ *Uncia* dragmas VIII.

[27. ÷ Obolus medio scripulos.
28. Э Scribolus II id est denr. II.]

---

29. ξ Sestarius lib. IIS, id est duas eminas.
30. I Emina lib. †IS et calices III. calix ciatus VIIII.
31. LS Cotilla, id est emina, ciatus XXVII.
[32. ξ Sestarius habet cotillas II, id est II eminas.]
33. ∾ Cyatus < X et Э II. alii dicunt quod habet < VIII. [Cyatus et quiatus unum est quod vulgo dicitur plena bucca.]

---

1. Uncia] Unc̄ *cod.* 3. *v. praef.* denr̄ *cod., item vs. 8 et 16* 4. dnr̄ *cod., item infra* 11. 12. scribol̄ *cod.* 14. Uncia *om. cod.* 15. 16. *haec misere corrupta: vide praef.* 16. id est] I ∾ *cod., item vs. 17. 20. 21. p. 129 vs. 1* 18. *lege* lib. IZ′ id est calices *cet.* 23. < dragmas VIII *cod.*

34. < Dragma Egyptiaca, id est faba Egyptiaca.

---

35. Cadus grece amphora est continens urnas III. [Cadus situla.]

36. Corus vero modiis XXX completur.

37. Satum genus mensurae, qui tenet iuxta morem provinciae modium et S.

38. Siliqua folliculus leguminum.

[39. Simphonia consonatio plurimorum verborum.]

40. Siclus solidi duo semis.

41. Obolus scripulum dimidium, quod facit siliquas tres.

42. Minaque quam Greci mnam vocant centum dragmis appenditur.

[43. Tympanum quippe est pellis in ligno extensa.]

134. *Tabula codicis Gudiani.*

1. Mensurarum genera snnt XII, digitus, uncia, palmus, semipes, pes, gradus, passus, decempeda, pertica, actus, stadius, miliarius.

2. Palmus habet digitos IIII, uncias III.

3. Semipes habet palmos II.

4. Pes habet palmos IIII.

5. Cubitus habet pedem I S.

6. Gradus habet pedes II S.

7. Ulna habet pedes IIII.

8. Passus habet pedes V.

9. Decempeda pedes X digitorum XVI.

10. Pertica habet pedes XII digitorum XVIII.

11. Actus habet pedes CXX, perticas X.

---

4. XX (with .X written above). *cod.* 12. Minãque *cod.*

12. Stadius habet pedes DCXXV.
13. Miliarius habet pedes $\overline{\mathrm{V}}$.
14. Porca habet pedes $\overline{\mathrm{VII}}$ CC.
15. Agnua habet pedes $\overline{\mathrm{XIIII}}$ CCCC.
16. Iugerus habet pedes $\overline{\mathrm{XXVIII}}$ DCCC.
17. Versus habet pedes $\overline{\mathrm{VIII}}$ DCXL.

---

18. ⅄ Dimidia sela, pars duodecima unciae.
19. \ Sela, sexta pars unciae.
20. Ɔ Lycus, quarta pars unciae.
21. \\ Duo sela, tertia pars unciae.
22. £ Semiuncia, dimidia uncia.
23. — Uncia.
24. ‾£ Sescuncia, uncia semis.
25. Z Sextam, duae unciae.
26. Z′ Quadran, tres unciae.
27. ZZ Trian, quattuor unciae.
28. ZZ′ Quincum, quinque unciae.
29. S Semis, sex unciae.
30. S′ Septum, septem unciae.
31. SZ Vem, octo unciae.
32. SZ′ Dodran, novem unciae.
33. SZZ Dean, decem unciae.
34. SZZ′ Dabum, undecim unciae.
35. I As, duodecim unciae.

135. *Tabula codicis Mutinensis prioris.*

1. Or Calcus, IIII pars oboli, VIII scripuli.
2. Ꙅ Siliqua, VI pars scripuli.

---

7. *de notis vide praef.* 26. VIII *significat* octava pars, *item* IIII *p. 131 vs. 1* quarta pars

3. ʒ Cerates, media pars oboli, IIII scripuli.

4. ≻ Obolus, media pars scripuli.

5. ℈ Scripulus, VI siliquae, id est denarius Gallicus.

6. ψ Dimidia sextula, II scripuli, id est siliquae XII, id est medium denarii.

7. ✱ Dragma, media pars sicilici, id est dn. III Gallici.

8. υ Sextula, IIII scripuli, id est siliquae XXIIII, id est tremissis.

9. Ɔ Sicilicus, VI scripuli, id est siliquae XXXVI, IIII pars untiae.

10. υυ Duella, VIII scripuli, id est III pars untiae, habens siliquas XLVIII.

11. Ƹ Semiuntia, XII scripuli, id est dnrii Gallici XII, siliquae LXXII.

12. (Untia, XXIIII scripuli, siliquae CXLIIII, d. Gal. XXIIII.

13. −Ƹ Sexcuntia, uncia et dimidia, dnrii XXXVI.

14. Ƶ Sextans, untiae II, et est VI pars librae.

15. Ƶ′ Quadrans, untiae III, quarta pars librae.

16. ƵƵ Triens, untiae IIII, tercia pars librae.

17. ƵƵ′ Quincunx, untiae V.

18. S Semis, untiae VI, id est media pars librae.

---

3. silique idē *cod.* 5. $\overset{o}{\text{II}}$ *cod.* id ē *cod., item vs. 6. 13* 7. silici *cod.* id est] ·|· *cod., item vs. 9. 10. 11. 15* dñ *cod.* 9. XXIIIS *cod.* 12. untie *cod. ubique (praeter p. 132 vs. 5)* 14. siliquas] sicil˜ *cod.* 15. dñrii *cod., item vs. 19* 18. d˜ Gal˜ *cod.* 19. *de nota v. praef.* uncia *hoc uno loco cod.* 20. *de notis sextantis et rel. v. praef. ad fr. 133* est] *codex habet longum* s *puncto supposito* libre *cod., item vs. 21. 22. 24* 24. id˜ med˜ *cod.*

19. S′ Septunx, untiae VII.

20. SZ Bisse, untiae VIII.

21. SZ′. Dodrans, untiae VIIII.

22. SZZ Dextans, untiae X.

23. SZZ′ Deunx, untiae XI.

24. X As, untiae XII, id est libra perfecta, et dicitur libra quasi libera eo quod liberaliter pondera cuncta contineat et libret omnia.

25. ʕ Siliqua est humillimum genus ligni nascentis in littoribus maris, folliculos VI habens, vel genus farris, cuius sex grana scripulum faciunt.

26. Calculus est ciceris grana duo, et est quarta pars oboli.

27. Quatuor calculi obolum unum faciunt.

28. Duo oboli scripulum unum faciunt, id est dn.

29. Tres scripuli dragmam unam complent id est dn. III.

30. Dragma et dimidia et scripulus et obolus quadrantem faciunt.

31. Duo quadrantes stateram faciunt.

32. Duae staterae untiam unam faciunt.

33. Untiae XII libram unam faciunt.

34. Librae LXXII talentum minus faciunt, LXXX medium, CXX maximum.

---

35. Coclear, id est denarius et semis, habet in se dimidiam dragmam, id est scripulum et obolum.

---

4. Dextṛans *cod.* 5. untię *cod.* 6. id est] id˜ *cod.* 8. ōia *cod.* 9. Silič *cod.* 10. habens] hn̄s *cod.* 15. id˜ dn̄ *cod.* 16. id est dn.] ·|· dn̄ *cod.* 21. Due statere *cod.* 23. LXXIIͤ *cod.* 25. id˜ *cod., item p. 133 vs. 1. 3. 4* ht̃ in se dimid̃ *cod.* 26. id ē *cod.*

36. Coclearii IIII, id est IIII dn. et semis, conclam faciunt.

37. Conclae VIII eminam faciunt, id est sol. XX.

38. Eminae II sextarium complent, id est libra I.

39. Sextarii VI conzum reddunt.

40. Conzia tria modium faciunt.

41. Modius unus et semis urnam reddit.

42. Urnae duae amphoram faciunt.

43. Urnae tres cadum, id est artabam.

44. Modii XIV gomor reddunt.

45. Gomor duo chorum faciunt.

136. *Tabula codicis Mutinensis alterius.*

[Incipit tractatus de signis ponderum.]

1. Ponderum signa plerisque ignota sunt et inde errorem legentibus faciunt, quapropter formas eorum et caracteres, ut a veteribus signata sunt, subiciantur.

2. τ littera significat dimidium obolum.

3. — virgula aequaliter iacens et porrecta simpliciter significat obolum.

4. Z geminata virgula duo oboli sunt.

5. T Latinum significat obolos tres.

6. F Latinum significat obolos quatuor.

7. Є Latinum demonstrat obolos quinque.

8. Oboli vero sex propterea caracterem non habent eo quod in una dragma sex veniant, quod est pondus denarii argenti.

---

1. dñ *cod.* 3. Concle ·VIII· emitiā *cod.* sol˜ cod. 4. Emine *cod.* 8. Vrne due *cod.* 9. Vrne *cod.* id est] d˜ *cod.* 19. *nota oboli in cod. similis est litterae* r

9. H Graeca littera significat †litteras octo, id est tremissem.

10. N Latinum significat nomissa Graecum, id est solidum.

11. I´. iota adiuncta virga significat dimidium solidum.

12. <. virgulae duae ex uno angulo a laeva in dexteram se dividentes significant dragmam, quam etiam olcem appellant.

13. NΓ. N Latinum adiuncto Γ Graeco significat semiunciam.

14. Γ°. gamma autem Graecae litterae o Latinum in fine iunctum significat unciam.

15. Λ with ι. lauda Graecum per medium sui I Latino adiecto significat libram.

16. K^y. cappa Graecum circa finem cornuum adiuncto y Latino significat ciatum.

17. Si vero o Latinum hoc modo K^o iunctum habuerit, eminam demonstrat, quam Graeci cotillem appellant.

18. Si autem hoc modo K^ϵ iunctum habuerit ε Latinum significat . . . . . .

19. . . . adiunctum indicat accitabulum, quod Graeci oxiphalon vocant.

---

1. litteras] siliquas *Isidor. fr. 127, 9* id est] ·I· *cod., item vs. 3* 3. H Latinum *cod.* grecum *cod.* 5. *de nota vide praef.* virga] uita *cod.* 7. <] IIZ *cod.* uirgula due *cod.* leua *cod.* 10. N *ante* Latinum *om. cod.* 12. gama autem grece littere *cod.* 14. *librae nota in cod. fere eadem ac supra ad fr. 127, 14* 16. Ky capa *cod.* 19. eminam] unam *cod.* 22. *post* significat *lacuna est in codice*

20. $\overset{\mathrm{N}}{\mathrm{M}}$. moi Graecum superposito N Latino significat minam.

21. T^{A}. T Latinum in fine †habueris lauda Graecum significat talentum.

22. X^{o}. chi Graecum in dextero brachio superiore o littera coniuncta cenix est.

[Explicit tractatus de signis ponderum: feliciter.]

137—138. *Excerpta ex Isidoro.*

137.

1. Mensura est iuxta Isidorum quicquid pondere capacitate longitudine latitudine altitudine animoque finitur. maiores itaque orbem in partibus, partes in provinciis, provincias in regionibus, regiones in locis, loca in territoriis, territoria in agris, agros in centuriis, centurias in iugeribus, iugera in climatibus, climata in actibus, actus in perticis, perticas in passus, passus in gradibus, gradus in cubitis, cubitos in pedibus, pedes in palmis, palmos in unciis, uncias in digitis diviserunt.

2. Digitus est pars minima agrestium mensurarum.

3. Inde uncia habens digitos tres.

4. Palmus autem quattuor digitos habet, pes vero sedecim.

5. Passus V pedes habet, pertica passus duos, id est pedes decem.

---

3. TL. t. *cod.* 9. *G hunc titulum praefigit* IN DEI NOMINE PAVCA DE MENSVRIS SECVNDVM GEOMETRICAE DISCIPLINAE RATIONEM EX VOLVMINIBVS ERVDITORVM VIRORVM EXCERPTA INCIPIVNT 11. animoquae *G* 13. prouintiis *G* 22. quatuor *V* 24. ped *G* 25. X *G*

6. Perticas autem iuxta loca vel crassitudinem terrarum, prout provincialibus placuit, videmus esse dispositas, quasdam decempedas, quibusdam duos additos pedes, aliquas vero quindecim vel X et VII pedum diffinitas, ita dumtaxat ut crassioribus terris minores mensuras, sterilioribus maiores tribuissent, prout modiorum numerus incremento frugum uni cuique loco sufficeret.

7. Quidam autem quinque grana ordei transversa tam indici quam impudico sive medio convenire iudicantes, hos tres digitos simul iunctos unciam dixerunt, palmum autem minimo addito diffinierunt. quidam ergo VII grana ordei in transverso posita pollicem iudicaverunt, ex quibus XV pedem reddunt, pedes duo et semis gressum sive gradum, duo gressus passum, duo vero passus decimpedam perticam faciunt. alii autem voluerunt, ut pertica XL et VIII palmorum esset, quae pertica ad manus XII pedes habet, quod per extensionem brachiorum verius esse demonstratur. idcirco putamus ministeriales imperatorum maiores in accipiendo, minores in dando mensuras habuisse.

8. Actus minimus habet in latitudine ped. IIII, ex quibus pertica esse non potest, in longitudine pedes CXX, qui faciunt perticas decempedas XII.

---

2. prouintialibus *G* 3. decempedes *V*, decimpedas *G* 4. XV *G* vel] L̄ *V* 7. mediorum *V* 9. hordei *V ex sil.*, ʰordei *G* 10. medico *G*, mo'dico *V* 12. autem *termi*ⁿⁱno *G* 13. septem *G* ordei *V*, *G ut supra* 17. XLVIII *G* 18. que *V* 24. ped *G* 25. Xpedas XIIII *V*, decimpedas XII *G*

9. Actus maior, qui quadratus dicitur, habet undique pedes CXX. qui duplicatus iugerum facit.

10. Iugerum constat in longitudine pedum CCXL, quod sunt perticae decimpedae XXIIII, in latitudine pedum CXX, quod sunt perticae duodecim.

11. Clima dicitur pars agri quadrata, quae habet ex omni parte pedes LX, id est perticas decimpedas undique VI.

12. Arapennis vero, quem semiiugerum dicunt, idem est quod et actus maior, habens undique versum pedes CXX, perticas vero duodecim.

13. Porcam est pars agri habens in latitudine pedes XXX, id est perticas tres, in longitudine LXXX, id est perticas decimpedas VIII.

14. Porro stadialis ager habet passus CXXV, id est pedes DCXXV. cuius mensura octies computata miliarium facit, qui constat quinque milibus pedum.

15. Centuria autem est ager ducentorum iugerum, qui apud antiquos a centum iugeribus vocabatur. sed postea duplicata est nomenque pristinum retinuit. in numero enim centuriae multiplicatae sunt, nomen tamen mutare non potuerunt.

16. Illud enim sciendum est, quod pes dupliciter secundum morem antiquorum pronuntiatur: uno modo eo quod sit naturaliter pes, alio modo quod usurpative per manus metiatur. tantum enim prae-

2. ped *G* 4. decimpedes *V*, decimpedae *G* (e *ex* i *facto*) 5. XII *G* 6. que *V* 7. pedes XL *V*, ped LX *G* 8. sex *G* 10. idem est] id esse *V* 11. XII *G* 12. Porcamis *G* ped *G* 13. III *G* 15. CXXII *V* 16. ped *G* DCXXII *V* occies *G* 17. miliarium qui constat facit *V* 21. multiplicate *V* 25. quod] q *V* 26. usurpatiuae *VG* precellit *V*

cellit pes manualis pedem naturalem, quantum pollex in longitudinem protendi potest. similiter et cubitus. nam unus cubitus est qui naturaliter a cubito ad digitorum summitatem usque pertendit; qualis erat cubitus quo arca testamenti, quam Moyses iussu dei fecerat, fuerat mensurata. alius cubitus est, qui et maior dicitur, quo arca Noae demetita esse dinoscitur, qui brachio extenso toto cubito capiti praelato se esse demonstrat. sic etiam et passus apud antiquos dupliciter haberi uidentur. etenim passus dicitur quod duobus gressibus gradiendo conficitur: passus etiam dicitur quantum ambobus brachiis extensis inter longissimos digitos est. status autem est unius cuiusque altitudo.

17. Illud etenim sciendum est, quia sunt mensurae quae ad viatores seu ad cursores pertinent. minima pars stadium est, habens passus CXXV. octo stadia miliarium reddunt, mille passus habentem. miliarius et dimidius apud Gallos leuvam facit, habentem passus mille quingentos. duae leuvae sive miliarii tres apud Germanos unam rastam efficiunt.

138.

DE PONDERIBUS.

1. Ponderum pars minima calculus est, qui constat ex granis ciceris duobus, et apud quosdam siliqua pensante, quae tribus granis hordei declaratur in pondere.

---

2. longitudine *G* 7. archa *V* noe *VG* 8. prelato *VG* 15. quia sunt] quiaster *V; legendum videtur* quia sunt et 21. restam *V*

2. Duo calculi ceratim faciunt.

3. Quattuor calculi sive duo ceratim obolum reddunt.

4. Duo oboli scripulum complent.

5. Tres scripuli dragmam faciunt.

6. Dragma quae constat siliquis X et VIII, et scripulus qui est ex siliquis sex, et obolus qui est ex tribus, quadrantem efficiunt continentem in se siliquas XXVII.

7. Duo quadrantes staterem faciunt.

8. Duo stateres unciam reddunt.

9. Iuxta Gallos vigesima pars unciae denarius est, et duodecim denarii solidum reddunt. ideoque iuxta numerum denariorum tres unciae quinque solidos complent. sic et quinque solidi in tres uncias redeunt. nam duodecim unciae libram XX solidos continentem efficiunt. sed veteres solidum qui nunc aureus dicitur nuncupabant.

10. Libra dicitur quicquid per duodenarii numeri perfectionem adimpletur. nam libra dici potest annus, qui constat ex IIII temporibus et XII mensibus, et ex L duabus ebdomadibus et die †vel quadrante. libra esse potest aequinoctialis dies sine sua nocte, qui constat XII horis. hora constat ex V punctis, X minutis, XV partibus, XL momentis, LX ostentis. hora autem diei secundum solis cursum V punctos habet, iuxta lunam IIII. nam libra in ponderibus, in mensuris arborum vel spatio terrarum vel statu hominis, per diversas mensuras in duodenario numero conprehendi potest.

---

12. dinarius *G* (e *ex* i *facto*) 22. vel] *lege* et

11. Mna centum dragmis appenditur.

12. Iuxta rationem autem ponderum nihil calculo minus aut talento maius est. etenim L librae talentum minimum est, LXX duae librae medium talentum, CXX librae maximum talentum est.

13. Centenarius autem dicitur eo quod centum libris constet.

139.

DE MENSURIS IN LIQUIDIS.

1. Mensurarum in liquidis coclear est pars minima, qui habet dimidiam dragmam, id est scripulum et obolum.

2. Cocleares duo chemam faciunt.

3. Cocleares III conculam faciunt.

4. Conculae duae cignum sive mistron.

